

Q. H.
420
1.

(X 1877447)

II i
1752

Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS HISTORICA

De

MONACHORVM

ORIGINE, INCREMENTO
ET DECREMENTO,

Quam

AUCTORITATE atque DECRETO

AMPLISSIMI

ORDINIS PHILOSOPHICI

SVB PRÆSIDIO

VIRI

PRÆNOBILISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI

DAN. GVIL. MOLLERI,

Comitis Palatini Cæsarei, Metaph.

& Hist. Prof. Publ. longè Celeberrimi,

DN. PATRONI atq; Studiorum suorum PRO-

MOTORIS omni observantia cultu perpetim prosequendi

PRO

SVMMS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

ac PRIVILEGIIS ritè legitimeq; obtinendis

publico Eruditorum examini

subjiciet

TOBIAS Münch / Norimb.

ad d. Junii, A. O. R. MDCC.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLÉ

Literis HENRICI MEYERI, Universitatis Typographi.



80.

DISPUTATIO IN AVGVSTI HISTORICA

MONACHORVM

ORIGINE INCREMENTO

TO ET DECURRIMENTO

AVGVSTI ET ALIIS DECRETIS

AMPLISSIMI

ORDINIS PHILOSOPHICI

IN RESIDIO

VIRI

PRAEVOBILISSIMI ET EXCELLENTISSIMI

DAN. GVL. MOLLERII

Comitis Palatii, Secreti, Metaph.

Gallicae Praef. Phil. longae Celsissimi

AV. PATRONVS ET ALIIS

AV. PATRONVS ET ALIIS

AV. PATRONVS ET ALIIS

AV. PATRONVS ET ALIIS

AV. PATRONVS ET ALIIS

AV. PATRONVS ET ALIIS

AV. PATRONVS ET ALIIS

AV. PATRONVS ET ALIIS





PROOEMIUM.

Conveniunt rebus nomina sæpe suis:



Ulce modulamen est dulcis Poëta: Casus an consilio nomina rebus conveniant, non immerito quis quaesiverit. Enimverò casu interdum hominibus nomina quædam convenisse, dirumq; exitium attulisse, ex Marci Vigerii Decachordo Excellentissimus DN.

PRÆSES hujus Disputationis Patronus atq; Præceptor meus omni honoris & observantiæ cultu æternum suspiciendus ostendit in Dissertatione de Synoride p. 44. verbis hisce: Fama est, celeberrimæ memoriæ Aegidium Caruagliar Hispanum Cardinalem Jura Romanæ Ecclesiæ in Italia resarcientem, & Italiam ipsam malis hominibus expurgantem, cum discolum aliquem scelestumve examinaret, de Nomine primùm solitum querere: quod si infaustum infameve sentiret, puniri jubere solitum. Ita dum nescio quem interrogaret: quod tibi nomen, bone Vir, est? illo respondente: Spaza croce, & ego, inquebat Cardinalis, Te Spazerò la cervice sicq; eum suffocari jussisse. Alterum respondentem, se nominari Brusca Boscho, benè erit, sed Boscho hora brügera te, respondebat, illumq; ignibus tradidisse cremandum &c. Consilio autem certaq; ex causa nomina nonnunquam rebus convenire, vel ex illis nominibus constiterit, quæ ante nativitatem septem illustribus Vi-



ris fuisse prænunciata, quorum (1) Ismaël Genes. 16. v. 11. (2) Isaacus Genes. c. 17. v. 19. (3) Salomon 1. Paralip. 22. v. 9. s. 12. (4) Josias 1. Reg. 13. v. 2. & 2. Reg. c. 23. v. 15. 16. (5) Cyrus Es. 44. v. 28. & c. 45. v. 1. (6) Johannes Baptista Luc. 1. v. 13. (7) JESUS DEI & Mariæ Filius Luc. 2. v. 21. Sed enim uti conveniunt, sic etiam

Pugnant cum rebus nomina sæpè suis.

Ut jam nihil dicam de Juda, vi significationis suæ Confessorem notante, & tamen ipsa re traditorem Christi exhibente, quid non, de illis nominibus spurcissimis, Scrofæ, Canis, Hirci, Capræ, Tauri &c. statuendum erit, quæ à rebus & personis, quibus imposita erant, quàm maxime discrepabant, & ejusmodi hominibus competebant, qui ingenii diviniore, dignitatis splendidiore, & virtutis nobilioris elogio mactabantur. At cui bono, forte aliquis inquit, hæc commemorantur? Sanè à Scopo Disputationis magis ea abducere, quàm ad illum adducere, vel ullo modo ipsi conducere videntur: quicquid autem sit: facti me nondum pœnitet: licet enim cognomen germanicum Mûnch à parentibus in me derivatum ratione quidem vitæ monasticæ haud quaquam mihi conveniat, ansam tamen mihi suppeditavit, de Monachis primùm cogitandi, deinceps verò accedente hortatu suorumque Patronorum meorum, quàm Maxime Plurimumque Reverendorum & de Ecclesia Christi optimè meritorum Virorum, quidpiam quoque de iisdem conscribendi. Quapropter in animum meum induxi de Monachis nonnulla Disputationis Inauguralis loco ex obvia fortè mihi Auctorum quorundam lectione excerpta congerere, congestaque melioris ordinis gratia in tres duntaxat Sectiones digerere, in quarum prima Monachorum Origo, in altera Incrementum, & in tertia Decrementum proponitur. Age jam, Lector benevole, & singula non tam rigorosa quàm placida benevolaque æstimatione, ætatis præcipuè meæ adhuc juvenilis & intricate circa Chronologiam materiæ intuitu, metire, meque Tuo Favori porrò habeto commendatum.

SECTIO I.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.
40.
41.
42.
43.
44.
45.
46.
47.
48.
49.
50.
51.
52.
53.
54.
55.
56.
57.
58.
59.
60.
61.
62.
63.
64.
65.
66.
67.
68.
69.
70.
71.
72.
73.
74.
75.
76.
77.
78.
79.
80.
81.
82.
83.
84.
85.
86.
87.
88.
89.
90.
91.
92.
93.
94.
95.
96.
97.
98.
99.
100.







SECTIO I.

De Monachorum Origine.

§. I.

ANtequam ad rei naturam indagandam accessus fiat, Nominis, quo eadem insignitur, ratio prius expendenda erit. Vox nempe *Monachi* Græciæ natales suos debet, quippe secundum quosdam Auctores *Μοναχ* est quasi *μόν* i. e. solus agens vel ducens vitam: *aliis* à *μόν* i. e. *unus* & *ἄχ*, i. e. *tristitia*, descendere videtur: *aliis*, uti Dionysio Areopogitæ à monade arcessitur, Monachus enim rebus divisibilibus relictis, monadi h. e. soli Deitati placere studet: *aliis*, ut Augustino ab unitate vitæ, animæ, cordisq; derivatur, Monachis puta sic viventibus in unum, ut unus homo, una anima & unum cor sint: *aliis* à *μόν* h. e. *solus*, & *ἐυχὴ*, i. e. *precatio* deducitur, quia monachi soli hominibus aliis haud permixti, preces fundere ad Deum solent: *aliis* ex *μόν* i. e. *unus* & *ἰκος* i. e. *custos* (qua tamen auctoritate nescio) componitur, ceu ex *vocabulario utriusq; Juris Mediolani* A. C. 1520. impresso apparet: *aliis* monachi inde dicti censentur, quod à matrimoniis abstinentes & à parentum mundi; conversatione secedentes, soli Deo contemplativa sua vita inservirent: *aliis* à *μονιός* i. e. *porcus sylvestris solitariè pascens*: Denique *aliis* à *μονάζειν*, i. e. *solitarium* degere descendit. quibus uti nos pariter haud impigri accedimus, ita prioribus etymologiis ceu remotis, ineptis, falsis, & allusivis calculum adjicere nequimus.

II.

Plures vocem *Monachi* *significationes* sustinere notissimum est: (1) Propriè & specialiter *μονοκοιτὴν* h. e. solitariè viventem sive eremitam denotat, (2) latè & communiter, *κοινοκοιτὴν* h. e. in communi viventem sive Cœnobitam designat, (3) pro Philosopho cœlestium rerum contemplationi unicè dedito accipitur, (4) impropriè *Pisces* innuit, de quo vulgò fertur Monacho peregrinante, h. e. pisce isto ex uno loco maris in alium commigrante, pluit, (5) pro cognomine usurpatam invenire licet, e. g. Antonius *Monachus* Jctus, qui de recta Feudorum interpretatione Anno 1635.



commentatus est: Deinde Franciscus *Monachus*, qui Anno 1565. epistolam de Situ Orbis edidit: & Johannes *Monachus* Jctus, qui Anno 1606. Practicam publicavit judiciariam. Ut taceam germanam vocem *Münch* / quâ præter me, plures alii cognominis vice utuntur. Nobis, plerisque his & aliis fortè adhuc significationibus missis, prima & secunda potissimum attendenda erit.

III.

Ad Epitheta & *Synonyma* Monachi *grammatica* quod attinet, ea diversis in linguis diversa licet reperire: in *Græca* enim occurrunt *μονοβοιός*, *κθινοβοιός*, *ἱεραπεύτης*, *ἀσκήτης*, *ἐρημίτης*, *ἀναχωρητής*, *ἰκετής*, *Φιλόσοφος*, in *Latina*, vitam in cœnobio agens, Religiosus, Claustralis, Regularis: in *Gallica* Moine: in *Italica* Monaco: in *Germanica* ein *Mönch* / *Münch* / *Münich* / Ordens-Person.

IV.

Describitur Monachus à *Bellarmino de Monach. lib. 3.* quod sit Religiosus in statu hominum ad perfectionem christianam, per aptissima perfectionis instrumenta, paupertatis, continentiae & obedientiae vota tendentium. Aliàs vero interrogatum quendam, *quid esset Monachus?* Lepidè respondisse, fertur, esse monstrum ex tot brutorum speciebus conflatum, ex quot conflata sit vox (*Monachus*) literis, nimirum, esse monachum *Moribus simiam*, *Oculis aprum*, *Nidore corvum*, *Arte vulpem*, *Corde lupum*, *Hæresi polypum*, *Voce asinum*, *Superbia pavonem*. Cui descriptioni non ineptè forsan ea quis junxerit, quæ *Cornelius Agrippa de Vanitate scient: c. 62.* tradidit: *in monasteriis haberi stoicas simias, insolentissima poscinummia, palliata mendicabula, cucullata monstra, barbigeros, funigeros, vestiferos, saccigerulos, loripedes, lignipedes, nudipedes, atratos, nigritas, ac id genus histrionum turbam, quorum vanitates & errores non caperent omnes pelles Madian.*

V.

Enimverò si in priscorum Monachorum mores inquiratur, Monachi olim revera fuerunt Monachi, h. e. solitarii & singulares: ipsi enim ab urbium & populorum frequentia discedentes, in eremum, solitudinem, fylvas, & nemora se absconderunt, progressu autem temporis, pristino remittente fervore, in urbes, contra quidem nominis sui professionem & significationem commigrarunt. Unde *Hieronymus ad Paulinum* Monachum in urbibus
com.

commorantem , nequaquam nomini vitam respondere scripsit, *Tom. I. epist. 13.* Si cupis esse, quod diceris, monachus, i. e. solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum. Et ad *Heliodorum Tom. I. epist. 1.* interpretere vocabulum monachi, i. e. nomen tuum, quid facis in turba, qui solus es? & ad *Rusticum Tom. I. epist. 4.* quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur. Concinnissime igitur *Rutilius in Itinerario lib. 1. vers. 439. seqq.*

*Processu Pelagi jam se Capraria tollit,
squalet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se monachos grajo cognomine dicunt,
quod soli nullo vivere teste volunt.*

Soli vero vivebant, ait *Vossius Etymologico LL. fol. 326. col. 2.* non foli; *soli*, quia separati ab aliorum, qui monachi non essent, confortio: *non soli*, quia multi in eadem μονῆ̄ sive monasterio monachi agerent. Lusit ea in re *Palladas Antholog. Lib. II.*

Ἐἰ μοναχοὶ, τί τόσσοι ἴ, τόσσοι ἴ πῶς πάλι μοῦνοι
ὦ πλεθρὺς μοναχῶν ψευσαυδρῆ μονάδα.

Si monachi, cur tot estis, si tot rursus, quomodo soli? ô multitudo monachorum ementiens monoda, h. e. ut *Isidorus* vertit, singularitatem.

VI.

Quando autem *Ordo cœperit monasticus*, inter auctores ipsos Pontificios non convenit: *quidam*, perhibente *Nicolao Hunnio Apostasia Romana Eccles. pag. 159.* censent, cœpisse mox post Apostolorum tempora *Bejer. Conc. Select. 37. pag. 698.* *Alii* fundationem attribuant *Pio I.* circa annum 170. *Polyd. Virgilius lib. IV. cap. 13. p. 361.* *Quidam* *Basilio*, qui vixit Anno 383. inventum adscribunt. *Polyd. Virgil. lib. VII. cap. 2. pag. 565.* Cæteris contradicentibus, *Baron. Ann. 328. §. 19. Ann. 360. §. 50, 51,* qui *Antonium* circa Ann. 360. primum auctorem Monachatus substituunt, *Bellarmin. Lib. II. de Monach. c. 5. §. Nunc quod attinet: Baron. Ann. 328. §. 5. seq. §. 16.* *Nonnulli* putant *Benedictum Nursinum* fundasse monasticam vitam in Occidente, *Basilium* in Oriente, circa Ann. 216. & 380. *Polyd. Virgil. Lib. VII. cap. 2. p. 565.* *Baronius* Romæ prima monasteria Anno 328. condita memorat, *Ann. 328. §. 21.* quorum fundatorem laudat *Athanasium.* Idem *Baron. Ann. 340. §. 7.* *Bellarminus*

pus

*nus Lib. II. de Monach. cap. 5. §. Veniamus: pro forma & sine funda-
mento, unicum Johannem Baptistam nominat, qui Monachus fue-
rit, in V. T. nimirum de veræ ac genuinæ antiquitatis probatione
desperans, sufficere putat, si ostendat, ante Annum 360. mona-
chos extitisse: quod tamen haud quaquam sufficit. Hæc dict. loc.
Hunnus.*

VII.

*Marcus Zuerius Boxhornius Hist. Univers. Ann. Christ. 30. pag. 78.
seqq. probaturus, monachos & disciplinam eorum omnem ab Esse-
nis Judæorum oriundam, differit hoc modo: omnis illa, quæ Chri-
stianis præcepta ac usitata est monasticæ vitæ ratio & disciplina,
lex aut consuetudo omnis, abstinentia omnis, contubernium
omne, habitûs, ab illo reliquorum, qui monachi non sunt, diffe-
ritas omnis, jejunia omnia, & quas vocant, abstinentiæ, preces,
& hymni, quos statis diebus canunt, omnes, omnia denique, quæ
probata hodie ac usitata monachis constant, & in quibus consistit
omnis hodie monachatus, non tam à Johannis Baptiste exemplo,
quàm Essenorum, Judæorum ascetarum, exemplo fluxere, atque
originem habuere. Testimonio & exemplo, quo nullum in me-
dium afferri ex antiquitate potest vel illustrius, vel similius, aut
verius, animus hic mihi est id ostendere. Extat illud apud Por-
phyrium Lib. IV. de Abstinentia, ubi agit de Judæis & Sectis inter Ju-
dæos. Quod tamen exemplum quia nimis prolixum est, nolu-
mus id transcribere, sed Lectorem ejus legendi cupidum ad cita-
tum Boxhornii locum ablegamus, ubi nempe pag. 82. coronidis vi-
ce verba adjecta reperiuntur sequentia: Nihil similius, quàm Essenus
Judæus, & monachus christianus; quod in hoc opere, in quo primas ve-
rasq; rerum origines recludere nobis ac tradere est animus, negligendum
non videbatur. Res ipsa loquitur. Esseni nuptias despiciebant; &
monachi despiciunt. Lex & disciplina Essenorum jubebat τὸ κοινοῦ
eorum omnium, qui ei ordini se daturi essent, opum; jubet & hæc mona-
chorum. Quales fratres sunt & sic cohæredes, erant & agebant inter se
Esseni; sunt & monachi, ac fratres idcirco malunt appellari. Squalorem
& nescio quas sordes in corporis cultu probabant; & monachi probant.
Longum esset singula inter se contendere, quæ sunt simillima atq; adeo
eadem instituta. Porphyrii verba aperta sunt. Nihil tam simile,
quàm Essenus inter Judæos, & Monachus inter Christianos. Hic
ex illo quasi factus & natus est. De disciplina tantùm soloq; ordine
viven-*

vivendi hîc ego loquor, cetera in eo solo differunt, quod Esseni isti asceta Judai fuerint; hi autem tanquam Christo dederint nomen, Christiani velint audire. Ex Essenorum igitur, qui inter Judæos sanctius vivere severiusque videri volebant, exemplo, instituto, ac disciplina, neque aliunde, omnis monachatus inter Christianos origo est. Quod si falsum alicui videatur, necesse est, ut quæ simillima & instituto quasi eadem sunt, dissimillima esse fateamur. Huc referri etiam possunt, quæ Rudolphus Hospinianus de Monachis Lib. III. fol. 5. verbis protulit hisce: Idem judicandum de Essenorum *συνεσις* five *συνεσις* & habitationibus, in quibus vitam, monachatu nostro in jejuniis aliisque ritibus non absimilem, egerunt, quamq; absq; dubio plurimi, molestiarum hujus seculi & rerum humanarum tedio ad eorum exemplum elegerunt. Denique Boxhornio addas licet in Compend. Hist. Eccles. Goth. Lib. II. p. 40 occurrence hæcce: quidam sunt utrisq; (h. e. tam Essenis quàm Monachis Christianis) *communis, vita scil. contemplativa, & à matrimoniis officiisque publicis remota.* Taceo plures alios auctores, arbitantes, ex Ascetarum Judaicorum h. e. Essenorum vivendi more monachos originem accepisse.

VIII.

Alii Eremitas, puta Paulum Thebeum & Antonium Ægyptium vitæ monasticæ auctores constituunt: in qua opinione sunt Hieronymus, Vincentius, Sabellicus, Hospinianus & plerique Scriptores rerum ecclesiasticarum. Juvat ex Compend. Goth. c. l. p. 307. aliqua hîc producere: de Paulo eremi cultore aliàs dictum. Ejus institutum secutus est Antonius Magnus cognomine, qui persecutionis postremæ temporibus, cum diu martyrium percupidè expectasset, neque consequi posset, magnam etiam opem martyribus Alexandria in carcere constitutis tulisset, ad monasterium in eremum reversus est. Ubi contracta sectatorum ingenti multitudine, disciplinam monasticam instituit, acrioribus jejuniis vigiliisque corpus conficiens, cilicio vestimento interiore, exteriori pelliceo uti solitus. Ad eum & Athanasius ventitavit, & Constantinus filique literas honorificas dederunt: eque longinquis regionibus undique concursus est: Ex ejus discipulis multi ad Episcopatus Ecclesiarum propter sanctitatis opinionem singularem vocati sunt.

IX.

Ad Paulum Thebeum quod attinet, is exorta sub Decio Imperatore persecutione atrocissima, cum urgentissimo necessitatis telo

B

undi-

undique premeretur, ac tantum non opprimeretur, tacentes locos, nemora & lucos primus inhabitavit. Adegit autem eundem ad hanc vitæ conditionem amplectendam non sanctitatis, sed securitatis, non tumoris, sed timoris, non otii, sed negotii ratio: licet enim defunctis parentibus cum sorore nupta, amplissimam adiisset hæreditatem, nescio tamen quo Satanae instinctu factum est, ut focer ipsius in hæreditatem vitam quasi esuriens lupo inhians Paulo comminatus fuerit, se illum, tanquam Christi confesorem apud Præfectum regionis manifestaturum & delaturum, quo intellecto, Paulus manibus pedibusque obnixè fecit omnia, ut, quod solum insatiabilis foceris aviditas intactum adhuc relinquebat, vitam, vitæ instrumentis omnibus posthabitis, fuga servaret. Fugit igitur An. ætatis 15. in speluncam aliquam ad saxei montis radicem. Erant per exesum hunc montem haud pauca habitacula, in quibus scabrae incudes & detriti mallei, quibus pecunia olim signabatur, visebantur: hunc locum Ægyptii tradunt furtivæ monetæ officinam fuisse, eâ tempestate, qua Cleopatram junctus est Antonius. Hic ad 113. usque ætatis annum permanfit, corvo ei cibum, palma vestimentum, fonte potum præbentibus, & tantum abfuit, ut tædio hujus eremi vel latum unguem è specu discesserit, ut potius nullum planè hominem interea temporis ad supremum usque vitæ diem conspexerit, nisi quod animam agentem, Antonius jamjam nonagenarius adierit, à quo postmodum quoque sepulturæ fuit traditus.

X.

Antonius Pauli vestigiis strictè inhærens vir fuit ut clarescentem ortus, ita etiam religiositatis fervore ipso Paulo non inferior. Permovit hæc eum, ut vitam splendidam cum abjecta spontè mutaret; pellexit, ut ætatis annum 20. agens sub hasta venderet, quæ jure optimo possidere poterat, parte quidem aliqua sorori relicta; instigavit, ut reliquam bonorum summam inopia laborantibus ultrò distribueret; inflammavit, ut loca à villa sua remotiora solus incoheret; adegit, ut sollicitius discipulorum cœtui invigilaret, prudentissimi instar Catonis, enormes quosvis excessus extirpantis, implantantis vero quæ morum viræque integritati quàm maximè conveniunt; persuasit, ut anno vitæ 35. in eremum sese demergeret penitus; adduxit, ut, elapsis 20. annis integris, arctiori familiaritatis vinculo aliis monachis sese obstringeret, in
 ipsis

ipsis urbibus Christum prædicans; impulit, ut ad montem sublimem (in quo & diem suum obiit supremum, extenso vitæ termino ad 105. annum usque) habitaculum suum figeret; religiositas quippe omnibus rebus anteit, profectò: libertas, salus, vita, res, parentes, patria & prognati hac sustentantur, servantur; emicabat in ipso undiquaque virtutum splendor cum felicitate, luctabatur non tamen vincebatur ab eadem. Medios inter superstiosorum hominum coetus versans à superstitionibus alienissimus permansit. Præterquàm quod divinandi artem egregiè calleret, omni laudis encomio majora charitatis officia exerceret, scripturas memoriter teneret, injuria affectis ut sincerus causarum patronus adesset, evangeliorum codicem omnia ad salutem necessaria continere, discipulos edoceret: animam mox exhalaturus à duobus discipulis petiit, quàm providentissime, ut cadaver suum in terræ sinum recondere, ne post mortem corpore suo ad idolatriam abuterentur nauci quidam homines. Denique si qua dicebat, mei vobis cura, si qua patris memoria est, si mihi vicarium rependitis affectum, nemo in Ægyptum meas perferat reliquias, nec vano corpus servatum honore afficiatur, ne ritus à me ipso culpatis in cadaveris mei cultu serventur. Vos igitur humum humo tegite, vos patris vestri corpusculum terra operite, & illud quoque senis vestri Magistri mandatum custodite, ut nemo, præter vestram dilectionem, locum tumuli mei noverit. Nimirum non adorari, sed occultari, non servari, sed humari in votis habuit antesignanus religiosissimus.

XI.

Nonnulli ex seculo IV. post C. N. monachatus originem arcesunt, quippe quo tempore *Basilius*, *Augustinus*, *Hieronimus*, aliiq; Viri sancti æque ac literati, in monasteriis juventutem informarunt. Certè *Basilius* Cappadocum Episcopus, ut ipse in universa sapientia sui seculi facile princeps fuit, ita effecit, postquam episcopatus labores susceperat, ut qui Christianis Ecclesiis, præesse vellent, pulcherrimo animi ornamento, h. e. bonis artibus & scientiis imbuerentur. Ne autem Antiochiam, Alexandriam, Athenas, aut aliò literarum bonarum & sapientiæ gratia proficisci cogerentur, *Cænobia* aut in urbibus, aut juxta urbes Episcopatus sui instituit, & ut ab aliis Episcopis instituerentur, auctor suasorque fuit. *Ruffinus Lib. II. c. 9. docet*, ista *Basiliana* monasteria officinas

fuisse, in quibus rejecta seculi cura, animi divina sapientia, pietate & universo sanctissimarum virtutum choro exornarentur. *Nazianzenus*, in Monodia, quàm funeri Basilii accinit, meminit, eundem monachos procul ab urbibus, in solitudinibus habitantes, ad urbana & suburbana cœnobia invitasse, ut non tantum sibi, sed & aliis prodesse, ut alter alterum hoc modo juvare posset, & monachorum vita per conversationem eorum, qui in communi agunt, pia fieret, & ipsi ex monachis quietem, constantiam, sapientiam, contemplationem addicerent. Quanquam monachismi hujus introductio quàm plurimos in Ecclesia tunc adversarios habuerit, & Eusebium Neocæsariensem Episcopum gravem oppugnatorem ut *epist. 63. ad Cler. Eccles. Neocæs.* ipse Basilius, & in *ejus vita Gregorius Nazianzenus* refert.

XII.

De Augustino Possidius in ejus vita tradit, quod in Episcopium suum adsciverit pulcherrima ingenia, cum eisdem tractaverit sacrarum literarum divitias, vixerit cum illis ad formam veteris monasticæ, & eos in sanctissimis illis exercitationibus fecerit eruditionis & virtutum fructus, ut ex convictu Augustini certatim in universa Africa Episcopi, Sacerdotes, Viri ad rempublicam Christianam necessarii, desiderati fuerint: imò ad formam Augustiniani instituti, passim alibi congregationes literatæ religiosæq; institutæ floruerint. Idem *Possidius* l. c. ait, habitasse Augustinum in monasterio à se intra Hipponensem Ecclesiam extructo, sed cum doctis & Theologiæ studiosis; vixisseq; secundum regulam Apostolorum, & ex suo illo Collegio dedisse primò Hipponensi Ecclesiæ Clericos, deinde verò Ecclesiis quibusdam aliis rogantibus, Episcopos, Viros undiquaque doctissimos & piissimos. Scribit quidem *Polydor. Virgil. Lib. VII. c. 3.* Augustinum fuisse in eremo juxta relationem quorundam, quoad, Manichæis in Africa favientibus Hipponensi diœcesi fuerit præfectus. Sed hoc falsum esse, res ipsa docet: nam ad annum usque 31 ipse Augustinus fuit Manichæus, & Romæ ac Mediolani Rhetoricam professus est, donec annos natus 33. Mediolani baptismum percepit. Neque etiam veritatem sapit, quando dicitur, Augustinum in baptismo statim cucullo usum fuisse nigro, & cingulo coriaceo, siquidem longè aliud apud *Possid. l. c.* legitur, nempe vestes Augustini, & calceamenta & lectualia, ex moderato & competenti habitu erant,

erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum, sed medium tenebat.

XIII.

Hieronymus, quanquam primum in Syriam concefferit, cum Heliodoro comite, instructus ingenti bibliotheca, inque solitudine sibi construxerit habitaculum, in quo annis 4. vetera studia recoluit, bibliothecam evoluit, sacras literas magna accuratione tractavit, linguas Orientales didicit, plurima etiam ad publicum Christianismi usum scripsit, tandem tamen flagitante id Ecclesie necessitate, Romam retractus, monasterium constituit, in quo cum piis & doctis amicis, studiorum adjutoribus, præter sacra orandi cantandique exercitia, aut vertendis sacris voluminibus aut ediscendis divinis literis, quas fratribus & mulieribus assidue prælegebat, tempus dabat. Cæterum totam *Hieronymi vivendi rationem* egregiè delineavit *Erasmus Rot. in vita Hieronymi*, quæ ut hic quoque compareat, operæ pretium fuerit: Hieronymus studiosè perlustratis Galliarum bibliothecis omnibus, & congressus cum his, quos vel eruditio vel integritas morum, reddiderat insignes, & undiquaque nonnihil decerpens, quod ad Christianum institutum facere videbatur, tandem cœpit de deligendo vitæ genere, deque loco commodo cogitare. Reputabat autem animo, Romam adhuc veterem sapere paganismum, & inter ejus urbis delicias parum esse tutam adolescentiam: deinde suam quoque patriam barbaricis voluptatibus esse corruptam. Proinde communicato cum sodalibus consilio; de secessu cogitavit, quo liberius & expeditius se totum sacris studiis & Christo dedicaret. Jam tum primum adolescentis animum offendebat mundus, qui ea tempestate Christianos Ethnicis habebat admixtos. Unde fieri necessum erat, ut, qui Christum profitebantur, pleriq; titulo magis quàm vita essent Christiani, & verè probis mentibus, primum vivendi votum adesset verius, quàm facultas. In matrimonio, ut nihil aliud accideret, certè libertatis naufragium perspiciebat. Adhæc Clericorum & Episcoporum statum, quod hos quoq; volentes nolentes honor, opes, & negotia mundi involverent ac transversos raperent, gravissimis periculis obnoxium esse. Et multorum vita displicebat, jam prisca illa pietate Sacerdotum ad tyrannidem ac fastum degenerante. Pensitatis igitur omnibus ac circumspectis, *monachi placuit institutum: quod, ne quis in hoc erret, id temporis longè diversum erat ab*

hoc, quod hodie videmus ceremoniis obstrictum, imò quibus maximè libertas erat cordi, hi monachi professionem suscipiebant. Primum enim res manebat integra, manebat commigrandi remigrandique, quo vellet, potestas, manebat dulcissimum ac liberrimum otium ad studia, jejunia, psalmos, vigiliis; aut suapte incitabantur, aut exemplis invitabantur, non cogebantur hominum constitutiunculis. Vestitus erat simplex, nec is tamen præscriptus, sed suo cuiq; arbitrio sumtus: non qui prodigiosa novitate faceret insignem, & digito notandum, sed qui simplicitatem Christianam præ se ferret. Votorum nulla vincula. Denique si quem fortè sui instituti poenitentia cepisset, tota demum poena erat, inconstantia nota &c. Nec aliud erat quidquam tunc monachi professio, quàm prisca liberaq; vita meditatio, ac purè Christiana.

XIV.

Jam si quærat, undenam hac nostra ætate in Europa præcipuè vigens ordo monasticus, in tanta originum monasticarum varietate primordia sua duxerit? equidem licet difficilis videri queat responsio, haud incongruum tamen esse arbitror, si dicatur eum ex seculi IV. monachatu propullulasse, eo enim magno cum fructu hinc inde terrarum disseminato, Europa quoque ad hujusmodi colendam vitam animum videtur adjecisse: seculo quippe V. monastici in ea congressus instituti, diversis auspiciis in Thracia, Gallia, Italia, & alibi, effloruerunt. Et quidem sine ulla adhuc votorum necessitate, sine amictus singularitate, sine meriti persuasione: at vero seculo VI. VII. & seqq. plurimum jam prolapsi fuerunt homines à prisca monastice forma. Verè igitur non minus quàm sincerè Cassander Consult. 25. quàm longè, ait, monachatus hodie à prima sui origine degenerarit, & quantis abusibus contaminatus & deformatus sit, satis per se manifestum est. Nam paulatim religio vera! & solida in superstitionem & religionis speciem conversa est, & accrescentibus opibus, decrevit pietas, & in ejus locum larvæ ceremoniarum successerunt, in quibus veræ pietatis operibus penè neglectis, summa totius religionis constituta est, quarum ceremoniarum inanis observatio adeò veram apud plerosque monachos religionem imminuit, ut nusquam ferè licentior & profanior vita, quàm in nonnullis monasteriis reperiatur, ita, ut mirum non sit, si multorum odio & reprehensioni exponantur.

XV. Ni-

Nimirum paucis ut multa complecti mihi liceat: *Essenorum* vitæ rationem monachatus *præfigurativam*, *Eremitarum necessitativam*, *Cænobitarum* seculi IV. *institutivam* & *monachorum* seculi VI. VII. reliquorumq; *transformativam* fuisse dixerim. Etenim utut *Esseni* haud pauca cum hodiernis monachis communia vivendi habuerint instituta, tantum tamen abest, ut hodiernorum monachalium Ordinum conditores ad ea in monachismi sui introductione respexerint, ut potius nunquam de iisdem illos cogitasse putandum sit: *Eremitas* autem *Cænobitis* ansam dedisse *Cænobia* erigendi, tanto magis videtur esse asserendum, quanto evidentiora *antiqui* suppetunt testimonia: Sanè uti *Eremitæ* persecutionum necessitate adacti in solitudines desertaq; fugientes se absconderunt, ita *Cænobite*, sive zelo pietatis, sive mundi tædio, sive otii honesti ac meditationum amore, sive juventutis erudiendæ cupiditate, sive mutux ædificationis gratia, sive alia quavis de causa, à mundano hominum consortio se segregarunt. Quos tandem superioribus illis seculis nati monachi ad imitandum sibi proposituri planè dereliquerunt, cultus novos & superstitiosos, sub opinione meriti, excogitantes, & in alia quævis instituta, conscientiiis non tantùm onerosa, sed Deo etiam exosa, abeuntes. Unde luculenter satis *Apologia August. Confess.* cultuum ejusmodi monasticorum *varietatem, impietatem, vanitatem & crudelitatem* declaravit.

XVI.

Speciatim vero in Articulis Abusuum, *artic. VI. de Votis monachorum Augustana* agens *Confessio* comparatione inter monasteria IV. & nostrorum seculorum facta *Augustini tempore*, ait, *monasteria erant libera collegia, postea corruptâ disciplinâ, ubiq; addita sunt vota, ut tanquam excogitato carcere disciplina restitueretur. Et post: Olim erant scholæ sacrarum literarum & aliarum disciplinarum, que sunt utiles Ecclesiæ, & sumebantur inde Pastores & Episcopi, nunc alia res est, nihil opus est recitare. Non autem loquitur Confessio de habitationibus nonnullorum hominum in solitudinibus, quas sub priscis tyrannis in persecutionum atrocissimarum fervore elegerunt plurimi. Quanquam etiam ex eremo in publicum processerunt Anachoretæ, si hæresium aut vitiorum in Domum Dominicam injectum ignem conspexerunt. Sed de illis monasteriis Confessio sermocinatur, quæ *Basilio, Hieronymo, Augustino, & aliis magnis**

magnis in Ecclesia Dei Viris auctoribus passim erecta sunt, & Gentilismi everfioni opposita. Neque hoc etiam vult Confessio, neminem planè in ejusmodi monasteriis fuisse, qui, cœlibis vitæ amore, in illis perseverare decreverit, quique edito voto transitum sibi ad Conjugium interdixerit; Repugnaret enim clarissimis vetustatis monumentis, si hanc foveret sententiam. Hoc tantum de veteri monastices instituto certum esse tradit, neminem illo tempore, ex lege monasterii, voti necessitate obstrictum fuisse ad perennem cœlibatum, potuisse plurimos aliquandiu, imò pluribus annis, in monasteriis perseverare, atque ibi sacrarum literarum meditationi & variarum disciplinarum studiis incumbere, qui postea ad varias partes reipublicæ christianæ educerentur, inprimis vero ad gentium conversionem, Ecclesiæ Dominicæ informationem, vitiorumq; extirpationem emitterentur. Videatur *Dorsch. Parall. Monast. & Acad. Dissert. I.*

XVII.

Dispiciendum jam erit quid diversum sentientibus de Antiquitate & Origine Monachorum videatur, & quidnam de ea Pontificii tradant, quippe quibus tantum non ipsi mundo cœvus fuisse fertur monachatus. *Bellarminus certè de Monach. Lib. V.* vitam monasticam adeo antiquam esse asserit, ut *quedam ejus adumbratio* fuerit in Lege Naturæ, ante diluvium, *major aliqua expressio* in Lege Moysis, *summa perfectio* Apostolorum temporibus. Atque ne huic suæ assertioni pondus deesse queat, ad exempla *Enosi, Nazaræorum, Helie, Rechabitarum & Johannis Baptista* provocat.

XVIII.

Et quidem ad *Enosum* quod attinet, de eo *Genes. IV. vers. ult.* legitur: *Enos cœpit invocare nomen Domini*: unde colligi *Bellarminus* vult, non vulgarem aliquem & ab Adamo, Abeleq; jam antea observatum Dei cultum, sed peculiarem, novum, & pristino illo longè perfectiorem ab *Enoso* fuisse introductum. At vero vulgatam juxta versionem, licet verba adducta se ita habeant, fontibus tamen ipsis inspectis, toto cœlo erratum fuisse deprehendemus. Reperitur enim *הויהוה* tunc cœptum est, nullo respectu habito ad certam personam. Deinde probè observat candidus ille hebraicæ linguæ interpret *Hakspanius* in notis suis ad hunc locum pag. 118. phrasin *לְקַרְא בְּשֵׁם* non de invocatione Dei totum aliàs divinum cultum denotante, sed de filiorum Dei denominatione

tione intelligendam esse, hoc ferè sensu: tunc inceperunt *homines pii* vocari nomine Domini, sive filii Dei. An verò hoc factum sit per contemptum à Cainitis, an quod publicæ quædam ceremoniæ institutæ fuerint, cum antea in familia duntaxat cujusque hoc præstiterint, Theologis dijudicandum relinquitur. De cætero non possumus non mirari, quî Bellarminus eum monachorum catalogo inserere, ac tantum non pro ipsorum duce venditare audeat, uxorem qui habuit, res proprias qui possedit, & aliorum qui usus est conversatione.

XIX.

Nazaræi tantum absunt à vita monastica, quantum abest cæ- lum à terra. Nam ut è pluribus rationum momentis unum sal- tem alterumque producam: equidem Nazaræorum sectam ipsæ sacræ paginæ Num. c. VI. agnoscunt, sed neque hîc neque alibi in toto Codice S. minimus apex pro adstruendo Monachatu reperie- tur, quod autem ex illo ipso destruat, nemini ignotum esse potest, conf. *Formul. Concord. p. m. 289*. Nimirum licet Nazaræi Deo sese devoverint, in conjugio tamen vixerant, ceu Samuelis & Samso- nis exemplo comprobatur, monasticam autem vitam conjugium damnare notissimum est: Nazaræi, mollitiei fuga, comam ale- bant, hodiernis autem Monachis quamplurimis nihil usitatus est, quàm ut barba rasa novacula à vertice intra dimidium calvæ ton- dantur, ita ut capillus infernè in parvi circuli speciem circa aures & tempora solùm caput coronæ instar ambiat: Nazaræi tonde- bantur voto demum soluti, monachi ex adverso tondentur vota suscepturi. Plura quæ Nazaræorum & monachorum exhibere possunt discrepantiam, vide sis apud Hospinianum de Orig. Mo- nach. Lib. I. c. 6. p. 15. seqq. ubi etiam quæ Nazaræorum fuerint instituta fusius exposita reperire licebit. Cæterum pulchrè osten- dit Nazaræorum & Monachorum diversitatem Apolog. August. Confess. (1) quoad fundamenta, (2) quoad finem & (3) quoad durationem. Confer. Hottingerus in Thesauro Philolog. Lib. I. cap. 1. sect. 5.

XX.

Neque *Helia* exemplum adversarios juvare potest. Quippe qui non eam ob causam in eremum se abdidit, ut ad extremum usque vitæ suæ diem in eo permaneret, & ut carnem ejusque cu- piditates ibidem mortificaret, atque in precibus, jejunio, conti- nentia & vita austerissima Deo serviret, & ad perfectionis sta-

C

tum

tum contenderet, sed ut ad tempus duntaxat aliquod, necessitate nempe summa urgente, in desertis locis se contineret. Et quidem primò abscondit se in torrente Cherit, non ex voto & instituto aliquo, sed jussu Dei *I. Reg. XVII. 3.* videbat namque is, fore, ut Achabus Heliam per totum regnum Israëlitarum ad exitium quæreret, cum igitur intelligeret, salutem ejus in periculum venturam, admonet, ut ad tempus secedat. Postea metuens quoque Helias minas Jesebelis, in desertum se contulit, verebatur enim ne manendo in urbibus, Jesebeli proderetur, unde ulterius ad montem usque Horeb progressus, speluncam ingressus est, ubi tamen non diu subsistens, à Deo mandatum accipit, ut ad loca ab hominibus culta & habitata reverteretur, & ad munus docendi rediret, cui etiam mandato Helias obtemperans ad munus docendi rediit, conf. *I. Reg. XIX. 11.* Nimirum N. V. C. Helias versatus fuit ad aliquod tempus in eremo, ergò fuit eremita vel monachus: alioquin eremitæ quoque fuissent Hagar cum filio Ismaële, qui in eodem deserto, quo Elias, aliquandiu substiterunt: monachus fuisset Moyses, qui, ut Helias, in monte Horeb delituit, ex Ægypto ob perpetratam cædem aufugiens: eremitæ monachique fuissent Israëlitæ, qui 40. annis in deserto fuerunt: quin ipse etiam Christus eremita fuisset, qui in deserto 40. diebus, ac noctibus moratus est, quique haud rarò *eis ἐρημικὸς τὰ πρὸς* orandi gratia concessit. Tantum abest igitur, ut monachorum instituto Helix exemplum quidpiam patrocinetur, ut eo potius validissime confutetur. Ceterum ridenda magis quam refellenda fuerit illa *I. Reg. XVII, 6. Corvi attulerunt carnem Elie*, quorundam Pontificiorum expositio: *Corvi*, i. e. Seculares, *attulerunt*, i. e. donarunt, *carnem*, i. e. omnia necessaria, *Elie* i. e. Monachis.

XXI.

Quid dicam de *Rechabitis*? oppugnant hodiernos monachos potius, quam ut pro ipsis pugnent, ceu patet ex *Jerem. c. XXXV.* addatur *Apolog. August. Confess.* ubi de votis monasticis agitur *p. m. 290.* Rechabitæ ceu communis fert sententia, posteris Jethronis, soceri Moysis originem debent, conf. *I. Paralip. c. II.* prout vero hic ipse Jethro habitare solebat in deserto, ita posteris quoque ejus vitam viventes pastoritiam, nec domos, nec agros, nec vineas habuere, & lacte potius ac aqua, quàm vino sitim levarunt. Hoc igitur vitæ genus, quia frugalitati inprimis conveniens esse visum fuit paren-

parenti, à filiis etiam suis id sanctè servari optabat. Nullum autem votum fuit his Rechabitis, sed reverentiam duntaxat præcepti paterni exercuere, in re prorsus adiaphora, non cultus, non æternæ beatitudinis promerendæ, sed ceu Jeremiæ c. XXXV, 7. exprimitur, solius tranquillitatis fruendæ gratia. Cæteroquin & nobis integrum erit ab illis cibi potusque generibus abstinere, imò tenentur pii parentes ab ejusmodi esculentis & potulentis liberos sedulò avocare, quorum frequentiore usu fenestram ad libidines norunt aperiri. Quapropter si *Rechabite* conferantur cum hodiernis *Monachis* nihil prorsus simile reperietur: *Rechabite* non bibebant vinum, sed *monachi* hauriunt liberalius, juxta versum:

Vos Monachi, vestri stomachi, sunt amphora Bacchi.

Rechabite domos nullas ædificabant, neque etiam possidebant, sed *monachi* tales extruunt, quæ cum regis sæpè queant conferri: *Rechabite* nullo prorsus obstricti erant voto, sed *monachi* votis tribus substantialibus sunt obstricti: *Rechabite* habebant uxores & liberos, sed *monachi* matrimonium abjurant ac detestantur. Nihil ergò *monachis* commune esse cum *Rechabitis* quilibet animadvertit. Conf. Hotting. l. c.

XXII.

Johannem quoque *Baptistam* vita sua monachis haud præluxisse, vel inde constiterit, quia non fuit in eremo omnibus hominibus vacuo. Etsi enim Johannes dicatur fuisse in deserto, non id tamen sic accipiendum, quasi in sylvas arctiores secesserit, cumq; nullo prorsus homine versari voluerit, sed habitavit cum parentibus, à quibus educatus, liberaliterque institutus fuerat, in deserto, h. e. regione montana, in qua sparsim homines habitabant. *Luc. I.* Maria, mater Domini, dicitur profecta esse in montanam regionem ad Elisabetham matrem Johannis Baptistæ cognatam suam. Neque vero *distinguendum* erit *inter desertum*, in quo factum est verbum Domini ad Johannem, & *inter desertum* in quo Johannes prædicare cœpit, quia ex verbis Evangelistarum haud difficile est collectu, utrumque locum fuisse saltuosum, montanum, & desertum, comparatione nempe ad alias regiones institutâ. Denique *desertum* in S. Literis non semper vastam eremum & solitudinem atram significat, sed montanam etiam ac saltuosam regionem, rarioribus oppidis, villis ac vicis constantem; ceu Chemnitius in Harmon. Evangelist. c. XVI. p. 303. accuratè id ostendit, ubi quid propriè sit desertum, eruditè inquiritur, & à

solitudine probè distinguitur. Paucis ut multa complectar: non est dubium, nulli in abstinentia, habitatione aut vestitu Ordini hominum præire, aut præbere exemplum, aut imponere sequendi necessitatem Johannem voluisse, ceu ex sacræ Historiæ contextu satis superq; manifestum evadit.

XXIII.

De *monachis antediluvianis* egit Jacobus Boulducus, Cappucinus peculiari in opusculo, cui tit. *De Ecclesia ante Legem*, ubi hoc potissimum evincere fatagit, monachismum ante tempora Mosaica & antediluviana jam extitisse. Atque ut aliquadantenus de temerario Cappucini hujus constet ausu, unicum duntaxat aliquem locum ex dicto Tractatu juvabit hîc produxisse, ex quo, quid de reliquis habendum sit, facile potest judicari: Exordium autem opinionis suæ facturum à voce Nephilim Genes. VI. 4. & Num. XIII. 34. occurrente, eam deducere laborat: *hoc nomine, inquit, tunc & longe posterioribus seculis fideles veriq; Dei cultores appellabantur à prostratione in terram, eò, quod in orationibus & publicis religionis exercitiis Deum prostrati adorabant, eo modo, quo nunc à Christo vocamur Christiani. Itaq; cum in prædicto Genes. loco juxta Hebr. dicitur, Nephilim erant in terra ipsis diebus, etiam postquam ingressi sunt filii Dei ad filios hominum, & genuerunt ex eis, sensus est: cum cœpissent homines multiplicari super terram, & jam ingens esset strages & ruina peccati, ut qui inter fideles sanctioris erant instituti, ideoq; vocabantur filii Dei, suis carnalibus planè indulgerent desideriis, ita ut videretur defecisse sanctus, & diminuta veritates à filiis hominum, Psal. XI. 2. omnis quippe caro corruerat viam suam. Genes. VI. 4. Supererant tamen adhuc pauci Nephilim, adhuc nonnulli ex fidelibus, etiam postquam eò devenissent filii Dei, ut contra sua vota mulieribus sectæ Cainiticæ matrimonio jungerentur. Proh! quam pudendum & ridendum hoc est commentum, omnibus profectò Sacræ Scripturæ Interpretibus, Patribus, Judæis, Historicis, Pontificiis, aliisque hæctenus ignotum: quis enim quæso Nephilim homines sanctioris vitæ, vottique rigidioris, h. e. monachos unquam est interpretatus? Aliud fanè sensus innuit Spiritus S., quippe qui citatis in Scripturæ S. locis causas enumerat exaggeratæ & in immensum intolerabiliter auctæ hominum malitiæ, quas inter Gigantum quoque soboles, h. e. id genus hominum recensetur, in quo magnitudo corporis cum vitiorum magnitudine certare quasi videbatur. Plura adhuc*

alia

alia Boulduciana ejusmodi deliramenta nosse aventi Dorsch. Pa-
rall. Monast. & Acad. in Dedic. satisfaciet.

XXIV.

Enimverò multa adhuc alia opinionum vel momenta vel por-
tenta possent afferri, nî chartæ parcentibus ad Sectionem alteram
progrediendum nobis foret: præcipuè autem amplissimus cam-
pus apertus esset, à *Claudio Delle* Dominicano, edito *Parisiis A. 1699.*
Libro cum tit. *Histoire ou Antiquitez de l' Etat Monastique & Reli-
gieux*, inquirendi in veritatem illorum argumentorum, quæ ab
ipso pro adstruenda Monachatus antiquitate sunt adducta: sed
quia neque libri inspiciendi copia nobis data, neque tempus et-
iam ad prolixum ejusmodi laborem subeundum, suppetit, idcirco
aliis, ingenio valentioribus, examen eorum committentes, Sectio-
ni nostræ primæ colophonem imponimus.

SECT. II.

De Monachorum Incremento.

§. I.

ORsa pertexturi, amplius habenda erit cura Incrementi Mona-
chorum. Sanè, quibus de inexhausta mortalium res novas
& contemplandi & imitandi aviditate aliàs constat, intellectu dif-
ficile non erit, quî monasticus hic Ordo vivendi tam cito æstima-
tores suos invenerit. Nimirum contemplantes hoc vitæ genus
gentes aliæ, primum admirari, mox deamare, tandem æmulari
cœperunt. Nemo ulla in re majores sumptus faciebat, quam in
ædificandis monasteriis: non publicam, sed suam quisq; liberali-
tatem experiri & voracissimis impensis cœnobîa redimere satage-
bat: hic villam, ille domum, alius lacum, Insulam, & nescio quid
denique splendidum sponte offerebat, ac tantum non obtrudebat.

II.

Hinc factum est, ut ab initio certatim plurima loca passim re-
pleri cœperint monasteriis, mira hominum cujuscunq; status ad
superstitionem promptitudine. Inprimis notatu dignum, quod,
teste *Chrystomo Homil. 8. in Matthæum*, circa Seculum IV. & V,
tanta Cœnobiorum multitudo hinc inde reperta fuerit, ut stellas
cœli fermè superarint. Seculum V. ait, *Dorsch. loc. cit.* fœcundis-
simum fuit Monachorum, qui ad Basilii, Hieronymi, Augustini,
& Ægy-

& Ægyptiorum formam variæ eruditionis & pietatis exquisitæ exercitiis sese manciparunt. *Per Palestinam Mesopotamiam, Cappadociam, & totum Orientem, apud Scythas, Thraces, Indos, Persas, Ægyptios; jam fuisse monasteria, ex Cassiano & Chrysostomo elucet. Eudoxia Imp. Theodosii conjunx Hierosolymis monasteria & scholas divinas quàm plurimas extruxit, si Nicephoro H. XIV. 5. & Zonara T. III. credimus. Africa hoc seculo diligenter persecuta est, quod auctore S. Augustino didicerat. Tandem Europa etiam hoc seculo monasticos ejusmodi congressus instituit. Ut jam nihil de Incrementis Monachorum in reliquis seculis dicamus. En! quid de Monasteriis solius Benedictini Ordinis, sua ætate, Anno videlicet 1500. florentis Tritheimius refert? Monasteria, inquit, Abbates habentia, exceptis Præposituris, Prioratibus & Cœnobiis Monialium ultra 15000 fuerunt, & addit: si unusquisq; sua possideret, tertiam partem Orbis Christiani Benedictinus occupare, videri posset. Volaterrani ætate Cardinales etiam habuit hic Ordo ferè 200. Archiepiscopos in diversis Ecclesiis 1600, Episcopos 4000, Abbates 15700, Canonizatos & Sanctorum catalogo insertos 15600. conf. Volaterrani Lib. I. cap. 4. de Viris illustribus hujus Ordinis. Fatetur idem de Monachis Augustinus Lib. de Moribus Ecclesiæ Cathol. de Anachoretis & Cœnobitis sui temporis (vixit autem Sec. V.) differens, hi, inquit, per totum orbem indies magis magisque diffunduntur, & in Oriente maximè, atque Ægypto. De Ordinibus vero novimus, quod Innocentius III. in Concilio Lateranensi cap. 12. edicto prohibere non dubitaverit, ne quis novos religionum Ordines institueret, sine approbatione videlicet Pontificis. Habetur illud in Decretalibus Gregorii cap. fin. de Relig. dom. Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam DEI confusionem inducat, firmiter prohibemus nequis de cætero novam Religionem inveniat, sed quicumq; ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat.*

III.

Sed verò non tantùm quoad numerum personarum auctum & multiplicatum est hoc vitæ genus, sed etiam quoad vitæ rationem, incrementa cepit. Inventi enim sunt, qui præscriptione novarum Regularum & normæ vivendi societates quasdam ab aliis distinctas constituere; & hi Autores variorum Ordinum, ut vocant, facti sunt.

IV. Pri-

Primus illorum, quod scimus, *Benedictus Nursinus* fuit in Umbria Italiae Monachus, is *A. 530.* tumultum & bellorum pertasus, in solitudinem abiit, & XII. monasteria condidit, ex quibus deinde Benedictini in omnem terram exiverunt: Ad Benedictum hunc audiendum ingens hominum multitudo confluit: Sic enim de illo *Gregorius M.* Episcopus Romanus ipsi *συγγερον* ex revelatione Discipulorum, ejus *lib. 2. c. 3.* refert: Multi, inquit, ab eo (Benedicto puta) in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt servitium congregati, ita, ut illic duodecim monasteria, cum omnipotentis Jesu Christi Domini opitulatione, construeret, in quibus statutis patribus duodenas Monachos deputavit, paucos verò secum retinuit, quos adhuc in sua praesentia aptius erudire judicavit. Cœpere etiam tunc ad eum Romanae urbis nobiles & religiosi concurrere, suosq; ei filios omnipotenti DEO nutriendos dare. Igitur hic ordinem Benedictinorum Monachorum condidit, qui mirum in modum propagatus fuit, ita ut hic Benedictus post Antonium meritò pater omnium Monachorum praesertim in Occidente, dici possit. Perhibent Historici, ex hoc ipso Ordine quoq; fuisse *Guidonem* illum Monachum, cui inventio *ut, re, mi, fa, sol, la,* adscribitur, quibus petiisse à Deo dicitur. VT RElevet, MIserum, FATum, SOLitosque, LABores. Hoc licet vile exilis cantoris inventum, utilitate tamen sua non destitui, Musices periti norunt. vid. *Aretinus epist. apud Baron. A. MXXII. n. 20.*

V.

Propagarunt postmodum hanc Benedictinorum sectam, in Gallia Maurus Equitii Senatoris Romani filius: Placidus in Sicilia; Leobardus in Alfatia; Donatus in Hispania; Augustinus Cantuariensis Archiepiscopus in Anglia; Bonifacius in Germania: & si *Trithemii* verbis in *Chron. Hirsaugien. f. 26.* fidem habemus, adhuc circa annum à nato in carne filio DEI 900. praeterquam Benedictinorum, in Germaniae & Galliae imo totius Europae oris, ordo fuit nullus. Vid. *Hosp. lib. 4. c. 3. p. 203.*

VI.

Hujus ordinis moles effecit, ut in duas mox classes abierit, *Gregorianos* nempe & *Gerundinenses*. Prior fundatoris sui nomine, si non omine, inclaruit, quem Gregorium M. episcopali postea dignitate Romae inprimis conspicuum perhibent. Nullam rem

seve-

severius interdictam volebat affectis, quàm bonorum asservationem; hanc quovis horrendo anathematis fulmine discutere solebat. Exhorrescit mens & totum corpus tremor percellit, si recordatio me subit miserrimi illius Justi, Monachi. Tres duntaxat aureos clanculum sibi reservaverat; hoc vero compertus Gregorius, tantum abfuit, ut Justum in mortis agone constitutum solatio erigeret, aut acerbissimâ pœnitentia contritum, venia dignaretur, ut potius defuncti corpus abjectissimæ instar bestię in sterquilinum jusserit conjici, addito hoc excommunicationis fulmine: pecunia tua tecum sit in perditione! Facinus sanè gregario, nedum Gregorio, indignum! De *Gerundinensibus* nihil notatu dignum occurrit, nisi quod à *Johanne*, Gerundinensi Episcopo, in Lusitania *A. 610.* peculiari regula collecti fuerint.

VII.

Ad *victum Benedictinorum*, quod attinet, noluit equidem leporem venari eos, & cupedias ciborum devorare, sed duobus pulmentariis coctis & ad summum, tertio de leguminibus crudis atque infusis contenti esse debuerunt; vini usum modicum vix ac ne vix quidem concessit. Circa *vestitum* sedulo inculcavit: quilibet vestrum cuculla, tunica & scapulari utitor! Sancivit idem complures leges alias, ritus & consuetudines, quas omnes enarrare velle, esset volumen conscribere. Temporis itaque rationem dum habemus, ad novos ordines pedem promovemus.

VIII.

Quemadmodum vero, dicente Bernhardo, arbor una est in radice & trunco, multiplex autem in ramis & fructibus, qui tamen humorem & vigorem habent à radice & trunco: ita Status Monachalis in Occidente unus est ab uno patre derivatus, à radice Regulæ Benedicti habens vigorem, qui tamen progressu temporis distinctus est in multos ramos, diversarum Religionum monachalium, convenientium in Regula, sed differentium in Constitutionibus, additis ad Regulam variis & moribus & habitibus.

IX.

Videlicet quia non pauci terrestria cœlestibus præferentes, libidines magis quàm castitatem sectabantur, reliqui verò, quibus ex tota mente Deo servire animus erat, impium hoc vitæ genus diutiùs perferre recusantes, in partes abire cœperunt. Et quidem sanctioris vitæ qui cupidi erant, arctioribus legum cancellis se coarctata-

arctabant, novis prioribus statutis adjectis. Vid. *Volaterrani Lib. 21. Anthrop. Tritemii Lib. I. c. 8, 9, 10, 11, 12. de Viris illustribus.*

X.
Inter illos, qui à vulgata Benedicti vivendi consuetudine secesserunt, primas tenet *Cluniacensis Ordo* à loco Gall. *Cluniaco*, ita dictus, & ab *Odone* five *Bernone* Abbate, *Guilielmi I. Ducis Aquitaniae & Com. Alverniae* favore nixo institutus. Quamvis vero insignem hic sanctitatem præ se ferret ab initio, progressu tamen temporis nil nisi meram fuisse hypocrisin, edocuit. Unde *Bernhardus Cluniacensis* hosce tanquam delicatos & otiosos non parùm perstringit *Epist. I. ad Robertum nepotem suum*, qui de ordine Cisterciensi transferat ad Cluniacum. Refert enim de quodam ex Ordine Cluniacensium sequentia: Voluntariam paupertatem miseriam dicit; jejunia, vigiliis, silentium, manuum laborem vocat insaniam. Adde querelam *Petri Cluniacensis Abbatis* satis acerbam *Lib. 6. Epist. 7.* Reliqui hujus Ordinis ritus legantur apud *Hosp. p. 305. seqq.* Inprimis vero hi ipsi Cluniacenses taxantur ab *Hospiniano cit. loc.* quod Anno 926. errorem illum penè abolitum de intinctione panis consecrati in poculum benedictionis revocaverint.

XI.

Anno, ut *Panvin. in Chronic. videtur, 1012. Sabellico, 1033.* aliis alio, *Camalodunensis Ordo* (à loco *Camaloduno* ita dictus) prodiit, ex eodem Benedicti fonte, ubi rusticus quidam dixerat, se per quietem vidisse scalas in cœlum porrectas, in quibus mortales ad Deum adscenderunt, Anno 1000. à *Romualdo*, nobili *Ravennate* institutus. Hunc excepit *Ordo Vallis umbrose*. Fundator ipsius fuit *Johannes Gualbertus, Florentinus*, quem impietate offensum à Benedictinis secessisse tradit *Surius, Tom. IV. d. 12. Jul. Vita Gualberti.* Hic ipse *Gualbertus* monasteria quoque curavit extrui in *Lombardia* alibique locorum. Notatu etiam dignus est modus ille, quo cum inimico suo in gratiam rediit. Recenset illum *Rossius in seiner Beschreibung unterschiedlicher Gottesdienste in der ganzen Welt / p. 488.* Unde eidem, quod hosti supplici culpam remiserat, imago Christi crucifixi motu capitis gratias egisse fingitur. Huc pertinent quoq; *Sylvestrini* à *Sylvestro* auctore nomen nanciscentes, & *Grandimontenses*, quibus nomen dedit vox illa ter (ab ipsorum instauratore *Petro* quodam, qui ab ore dependerat

D

Ste-

Stephani nobilis cujusdam) audita: *in grandi monte!* (scilicet monasterium erige). Hunc adeo duram vitam egisse ferunt, ut lorica ferream super nudum corpus gestaret, vili superne amictu opertam: stratum ex tabulis ligneis instar sepulchri in terra confertum, omni stramento, omniq; lectisternio careret. Præter horas canonicas, genuflexiones innumerabiles, terram deosculando, & cum fronte nasoq; percutiendo, faciebat: earumq; assiduitate manibus ac genibus in modum Cameli callos contraxerat, & nasum in obliquum curvaverat. Sicut hæc omnia de illo refert *Hosp. p. 309.*

XIII.

Carthusienses Autorem agnoscunt *Brunonem* patria Colonienfem: Ordinis hujus originem (licet à plurimis tanquam fabulosam rejectam) non incongruè tamen recensere lubet ex *Hospiniano*: Parisiis, inquit, Professor quidam, cujus eruditio, vitæ morumq; integritas & religio apud optimos quosq; maximam merebatur & admirationem & laudem, suum diem obiit: qui inter solennes exequias, quæ ei tum in templo de more fiebant, in feretro se erigens, tristi querela exclamavit: justo Dei judicio accusatus sum! hac voce audita omnes qui aderant consternati, humationem insequentem diem differendam esse censuere. Secundo die mortuus rursus erecto corpore in feretro residens, eandem lamentationem repetit. Tertiò denuo die vociferatus est: justo Dei judicio condemnatus sum! Hinc Bruno, videtis, inquit, ad circumstantes, quàm miserabilis sit exitus Viri celeberrimi, & omnium nostrum opinione sanctissimi, num & nos sic perire volumus? Profectò non est locus salutis, nisi mundum relinquamus. His diebus cum 4. literatis & duobus idiotis petiit eremum, mox *Carthusiam*, unde *Carthusienses* ejus asectæ dicuntur. Vid. *Aveninus l. V. p. 581. Petrus Cluniacensis Lib. II. de miraculis c. 28. Baronius Anno MXXCVI. n. 16.*

XIV.

Porrò *Benedictum* sapiunt & *Cistercienses*, à *Cistercio* Burgundia loco sic dicti, ducem suum agnoscunt *Robertum Abbatem*, qui dissolutæ illius vitæ, quam reliqui *Benedictini* tunc vivebant, pertæsus, adjunctis viginti & uno ex illo Cœnobio, sive Conventu fratribus, secessum fecere. Hi collapsam *Benedicti* Regulam de novo instaurarunt & monachis manuum opus injunxere. Vid. *Rossii*

untera

unterschiedliche Gottesdienste in der Welt. p. 493. 494. add. Sigebertus An. 1098. Vita Roberti apud Surium Tom. II, d. 29. April. His meritò jungimus Bernardinos, à Bernardo qui magnus inter Cistercienses erat, ita dicti. Vid. Biblioth. Cisterciensis, & Surius. Hic Ordo tantoperè successu temporis crevit, ut An. 1150. majores Abbatiaè numerarentur 50. Alias eandem regulam cum Cisterciensibus servabant, nisi, quod tunica nigra supra album pallium induti, incederent; diebus verò festis Cisterciensium veste utebantur, in ortus sui memoriam.

XV.

Alius ordo rursus est ortus, qui *Humiliatorum* audit. Nomen illorum inde est, quod tempore Friderici Barbarossæ, cum Lombardis bellum gerentis exilii acerbiter diu perferre nolentes, supplices ad Cæsaris pedes sese prostraverint, & hoc pacto libertatem consecuti fuerint. Hac impetrata pristinas petebant regiones, monasteria ædificaturi. De reliquis, quæ Ordinem hunc illustrant, vid. *Hospin. p. 315. seqq. Antonianorum*, sive infirmis in hospitalibus S. Antonii, Ministrantium ordo, propter ignem sacrum, notatu dignus censendus est, quia Deus (si credere fas est) obtentu B. Antonii confessoris sui morbidum ignem extinguit. Eandem ob causam referente *Joh. Molano c. 59. de picturis & imaginibus*, multis in locis in domus ostio appingitur, ut obtinere dignetur à Deo, ne pestis eam domum invadat. Itidem porcus appingitur, ut laici doceantur, animalia sua ejus intercessione à malo quovis præservari. Et in hujus beneficii implorationem ac protestationem porcus plerisq; locis alitur à communitate, quem nominant *S. Antonii porcum*. Vestitus illorum niger est, cum Tav cœrulei coloris ante pectus. Vid. *Historia Antoniana ab Himaro Fulco conscripta part. II. cap. 31, 32, 33*. Hos secuti sunt *Premonstratenses, Gilbertini, Robertini, Cruciferi, Crucigeri, S. Spiritus Hospitalarii, vel Jejunantes, Templarii, Teutonici, Lazarite, Hierosolymitani, Militum Domini Jacobi de Spatha*, quos nominatenus indicasse duntaxat propter rerum prolixitatem & propositam de iis tractandi breviter, sufficiat. Cæterum qui plura de ipsis cognoscere cupit, evolvet *Vincentium Belluacens. in Specul. Hist. & ex eo Nauclerum gen. 38. p. 183. Urspergens. p. 278. Johan. Tritheimium de Scr. Eccles. Heinr. Gandavensem de Scr. Eccl. Robertum à monte Append. Sigeb. Cromerum lib. 6. de rebus Polonorum; Antonium Tit. 16, c. 4. §. 2. Tyrium lib. 18.*

c. 5. belli sacri; *Jacobum de Vitriaco* lib. 1. *Hist. Hieros.* c. 30; *Æmilium* lib. 8. *Volaterranum* lib. 21. *Polydorum* lib. 7. c. 5. & c. 8. *Sebast. Frankium* in *Chronico* fol. 479. &c.

XVI.

Nos pedem promovemus ad *Mendicantium Ordines*, qui ut abjectissimi, ita etiam amplissimi sunt. Quicquid alii improbo labore & sudore acquirunt, id mendicabula hæc hominum deglutiunt otiano. Incedunt nigris vestibus induti & Zona desuper. Multitudo eorum exinde patescit, quod *Gregorius Decimus*, Papa, Anno 1273, vel 1274. in Concilio Lugdunensi 23. Ordines illorum aboleri jufferit, 4. adhuc remanentibus, qui sunt: *Predicatorum*, sive *Dominicanorum*, *Minoritarum* sive *Franciscanorum*, *Augustiniensium*, & *Carmelitarum*. Edictum illud qui legere cupit, adeat *Hosp. lib. 6. cap. 1. p. 370.*

XVII.

Ortu autem monachorum Mendicantium monasteriis novè planè facies hinc inde inducta est; *prima* enim eorum *etate* in monasteriis doceri philosophia cœpit Theologiæ permixta, *Scholastica* dicta, *apud Græcos* quidem Auctore *Johanne Damasceno*, *apud Latinos*, *Petro Lombardo*, cujus libri sequentibus seculis pro norma Theologiæ habiti, & Patres & Doctores Ecclesiæ Scripturæ S. æquiparati sunt. *Alterà etate* sub Alberto M. Ratisb. Episc. præter Patrum Scripta, Philosophia Aristotelis in Theologiam invecta est, & ad id Auctoritatis fastigium conscendit, ut non solum omnia monasteria in ea sola explicanda desudarent, sed & textus *Aristotelis*, *vices S. Scripturæ in concionibus ad populum*, quibusdam in locis subierit. *Tertia etate*, quæ à Durando de S. Porciano usque ad Gabr. Biel extenditur, Aristotelis & Lombardi Commentatores, sententiarum Magistri, in Occamistas sive Nominales, & Scotistas sive Reales, in Thomistas, Albertistas &c. divisi, tricis pluribus tempus fefellere.

XVIII.

Augustinienses natales debent *Guilhelmo Aquitaniæ Duci* *D. Bernhardi* discipulo, (hujus nomen quoq; gestarunt, quando *Guilhelmitæ* vocati fuere). Vixit anno post Christum natum 1150. Hic eremiticum vitæ genus, quod jam penè ob Monachorum luxum esse desierat, reduxit. Vestitu usus est atricolori. *Anastasius* & *Adrianus* in causa fuere postmodum, ut posthabita
eremo,

eremo, urbes incolet. Quomodo vero temporibus sequentibus ad interitum ruens hoc institutum restauratum & propagatum fuerit, à *Johanne Bono, Hospin. refert, p. 372. seqq.* ubi simul quàm fusissimè de Regulis ipsorum agit; add. *Ross. p. 515.*

XIX.

Carmelita nomen habent à monte Syriæ Carmelo, quem ab Helia & Helisæo inclaruisse, ex sacris constat. In Angliam irrepsit hic ordo, Auctore *Radulpho Fresburnio*; & *Hunfredus Nekton* primus ex Carmelitis fuit, qui in publico Cantabrigiæ Gymnasio Theologiam Scholasticam prælegit, & mox Theologiæ Doctor evasit. Quamdiu in Syriæ oris hærebant, induti erant pallio versicolori ex albo & Carmesino, id est, rutilo circulato, qualem & Heliam Prophetam gestasse falsò *Polyd. lib. 7. c. 3.* perhibet. Honorius (sive III. sive IV. fuerit, nos non litigabimus) Pontifex vestitum hunc rejiciens, præcepit, ut ferrent desuper cappas extoto albas, & tunicas subtus griseas cum scapularibus. Vid. *Rossii unterschiedlicher Gottesdienst in der Welt/ p. 517. seqq.* add. *Bibliotheca Carmelitarum, Polyd. Virgil. VII. c. 3. & Job. Launius.*

XX.

Dominicanorum originem, quoad nomen, ad Dominicum Hispanum quendam, quoad omen vero ad Humiliatos referunt *Hospin. p. 390. & Rossius p. 620.* ut & *Onuphrius Panvinius in Chronic.* Confirmatio illorum facta est per Innocentium III. *Prædicatorum* verò nomen impositum est ipsis, quia hoc opus, hic labor ipsorum dicitur, prædicare, verbumq; Dei explicare. Hic ipse Dominicus Dominicanis suis (quos in tres classes distribuit, ita, ut ad primam referret *Fratres minores*, qui contemplationibus rerum divinarum unicè cum illo operam navarent; ad secundam, *Moniales easdem contemplationes deamantes*; ad tertiam deniq; utriusq; sexus homines, ad labores propensos, (qui de pœnitentia fratres & sorores *B. Dominici, sive militia Jesu Christi* dicebantur) rerum omnium mobilium æque ac immobilium possessionem serio interdictam esse voluit, timens, ne quotidiani quæstus anxietas prædicationis studio remoram injiceret. Statutum etiam fuit, ut quotannis Capitulum generale celebraretur: tenentur ulterius per septem continuos menses jejuniò se macerare, à festo nimirum Crucis Septembrino ad Dominicam usque resurrectionis: carnibus vesci, nisi infirmis, nemini licet: familiaritas cum mulieribus prohibita

est ipsis; silentium verò sub non levi pœnitentia tenendum. Habitus, quem gerunt, est tunica candida superinjecto nigro pallio, & ab humeris ad caput scapulare tegmen, atque hunc, ab ipsa Maria Deipara, præscriptum fuisse ægrotanti cuidam, Reginaldi nomine, somniant. De reliquis regulis & consuetudinibus, vid. *Ross. p. 521. Hospin. p. 392. seqq.*

XXI.

Ordo *Franciscanorum* sive *Minorum* (Germanicè vulgò, *die Barfüßer* à nudis pedibus, dicuntur) fundatorem habet *Franciscum*, patre natum *Bernardione Asfisi*, quæ vallis *Spoletanæ* civitas est, vid. *Bonavent. in vita ejus c. 6. Vincent. l. 30. c. 101.* Noluit a seclis suos ab initio, *Franciscanos*, sed in humilitatis *ταπεινότητος*, *Minores* appellari. Erat hic *Franciscus* scelerum ab initio cumulatisimus, prout ex vitæ illius curriculo patescit, quod fusius describit *Hosp.* p. 403. Cæterum memoratu dignum est, quod, ex hoc ipso *Franciscanorum* ordine, inventor ille pulveris pyrii, nomine *Bertrand*, vel *Bertholdus Schwarz* A. O. R. 1355. prodierit. Testantur id *Pancirollus de Invent. p. 665. Lansius in Consultat. pro Germania p. 43. Polyd. Virgilius II. c. 7. Bodinus Meth. Hist. c. 7. Aventinus V. H. p. 491.* alius ex opposito, inferioris subseclii homo, *Job. Gaja*, pyxidem illam nauticam, cujus ope non Itali duntaxat & Hispani multos felices progressus sentiebant, verùm etiam *Columbus* ignotas antea terræ partes (quas novum illum mundum vocitare amant,) primus invenit. Consulantur *Pancirollus, Cardanus, Turnebus, Bodinus*, aliique. Ad vestitum *Minoritarum* quod attinet, ab auctore nullus præcisè determinatus erat, contento videlicet, si modo vilis esset; postmodum verò maximæ lites 50. per annos obortæ sunt; donec tandem eò pervenerunt, ut hodie uno eodemq; vestium genere utantur, nimirum, demissis ad talos vestibus, & grandibus cucullis grisei coloris, qui ex albo & nigro quodammodo compositus est: Cincti sunt omnes funibus & nudis pedibus incedunt. Successu temporis in plures hic *Minorum* ordo familias sese diffudit. Oborti videlicet sunt: *Observantes*, vel de *Observantia* Fratres, *Conventuales minimi*, *Cappucini*, *Collectanei*, qui pecunias colligunt, *Amadeani*, *Reformati*, de *Evangelio*, *Chiacini* cum barba; de *Portiuncula*, *Paulini*, *Bosaini*, *Gaudentes* de *Augustinis* cum perforatis calceis, *Servientes*. Incidit autem institutum *Franciscanorum* in annum humanæ salutis septimum supra duodecies cente-

centesimum, raro, ac nescio an unquam verius dixerim, ceu *Sabellius Ennead. 9. lib. 6.* commentatur *jussum humane pietatis institutum majora sensit incrementa*: totum orbem terrarum una hæc implevit familia, quadraginta provinciæ, quibus Minoritarum nomen est insertum, in custodias dividuntur, custodiæ quæ multæ sunt numero, in conventus & loca. *Franciscus Atracinus* Theologicæ professionis homo, in iis commentariis, quos ad me de hujusmodi re dedit, sæpius testatur, difficile sibi videri locorum numerum posse ab ullo inveniri, sed multo difficilius initiatorum, qui, ut idem ille, ceteriq; de eadem re à me appellati, conjectura assequuntur, *sint hodie ad sexaginta millia numero.* Sæpe & hoc fando auditum, *Magistrum universi Ordinis polliceri quandoq; ausum, Pio Pontifici Max. expeditionem in Turcos paranti, ex Seraphici Francisci familia triginta bellatorum millia, qui bellica munera naviter obire possent, nihil sacrarum cultu interpellato.* Hæc Sabell.

XXII.

Præter hos mendicantes, dantur etiam militares Ordines. Ex his choream meritò ducit *ordo militum Sepulchri Dominici*, (Germanis die *Ritter des S. Grabes* dicti.) Derivant hi (licet temerè) originem suam ab Ipso Jacobo Alphæi fratre. Probabilius nonnullis ortus est hic ordo, post captam à Christianis Hierosolymam Gothofredo Bullioneo duce, quamvis ne hanc sententiam nostram faciamus. E Syria pulsi ab Innocentio VIII, A. 1485. militiæ Rhodiorum Equitum adjecti fuere. Postmodum verò hæc Sepulchri Dominici cura Franciscanis commissa fuit, de qua adhuc hodiè gloriæntur. Vid. *Hosp. p. 478. seqq. add. Rossius p. 532. seqq.* De Solennitatibus, quas in Inaugurationibus suis hic ordo adhibere solet, vide sis *Hospin. p. 479. & Ross. p. 333. seqq.*

XXIII.

Sequitur hunc *ordo Gladiatorum* sive Gladiferorum, distinctissimè Crucigladiatorum qui audit, ideò, quia gladios duos rubros transversum in crucis modum in pallio candido gerunt. Inchoavit hunc ordinem primus *Albertus Rigenfis Episcopus*, A. 1204. vid. *Ross. p. 534.* Hunc excipiunt *ordo S. Trinitatis Militiæ S. Mariæ, Militiæ Montesiæ, S. Claræ, Vallis Scholarium, Bethlehemitarum, Bonorum hominum sive Virorum, Servorum B. Mariæ, Cœlestinorum, Fratricellorum, Flagellantium.* Qui ultimi reliquos omnes stoliditate superarunt, eo videlicet ritu Deum placare, eidemque placere

placere studentes, qui non solum merè electitius est, verum in corpus etiam humanum nefariè sæviens. Videantur *Max. Rev. & Excell. D. Bajerus b. m. in Disput. de Flagellationibus pontificiis, Virq; Plurimum Reverendus, Amplissimus, atq; Præcellentissimus Dn. M. Joh. Jacobus Seyppelius, Eccles. ad Div. Laurentii Dispositor* longè meritis-
 simus, Mæcenas atque Patronus meus ob ingentia beneficia, con-
 silia & auxilia, Patris instar æternum colendus in disp. eruditè
 elaborata *de Ritu flagellandi apud Romanos usitato*, venerabile par
 Theologorum, quorum prior Noriberga relicta Jenam ad Profess.
 Theolog. exornandam concessit, jam vero in Christo Salvatore suo
 beate obdormivit, posteriorem adhuc in sinu (utinam quàm diutis-
 simè) fovet dulcissimo. *Ab anno Christi 1300. usq; ad 1400. sequentes*
Ordines hinc inde instituti fuere: Ordo Militum Jesu Christi, Al-
 cantharæ Militum Jesu Christi, Alcantharæ Militum, Equitum
 Stellæ, Carteriorum Equitum, de Observantia minorum Prædica-
 torum, S. Brigittæ, aliàs Salvatoris, Jesuatorum, S. Catharinæ,
 S. Hieronymi, S. Salvatoris sive Scopetinorum, Albatorum, Tur-
 lupinorum; *ab anno 1400. usq; ad 1500. hi fuere oborti:* Ordo Mon-
 tolivetensium, Canoniorum, S. Georgii-in-Alga, S. Spiritus,
 Canoniorum Lateranensium, S. Justinæ, S. Ambrosii-ad Nemus,
 Minorum Jesu Mariæ, Eremitarum sive Francisci, Equestris an-
 nunciationis B. Virginis Mariæ, Mauritianorum equitum, Equi-
 tum aurei velleris, Equitum Lunæ, Equitum S. Georgii, Equitum
 S. Michaëlis, Bandatorum, Rebattinorum, Militum S. Stephani,
 Equitum S. Spiritus, Peregrinorum Pauperum, Indianorum, So-
 dalitatis divini Amoris sive Theatinorum, & quis indefinitum il-
 lorum numerum definiat? Prætereo illos Ordines, de quorum
 Autoribus, vel antiquitate certò nihil constat. De notissima illa
 Jesuitarum secta, licet plurima dicenda essent, quia tamen multa
 volumina prostant, brevitatis ergò illa omittimus; ipse profectò
*Hospinianus 4. integros libros de Origine, Regulis, constitutionibus, Pri-
 vilegiis, incrementis, Progressu, & Propagatione Ordinis Jesuitarum,
 item, de dolis eorum, fraudibus, imposturis, nefariis facinoribus, cruen-
 tis consiliis, falsa quoq; seditiosa & sanguinolenta doctrina de indu-
 stria exaravit, qui consulatur.*

XXIV.

Plura aliorum Ordinum Monachatus *Incrementa* commemo-
 rare supersedeo, contentus hac vice illis, quæ *Nicolaus Gùrtlerus in*
Historia

Historia Templariorum p. 120. de Templariorum non minus, quam aliorum Ordinum progressibus ac Incrementis, memoriæ tradidit: Templariorum, inquit, res adeò crevit in immensum, ut Guilielmi Tyrii ætate trecentos plus minusve in conventu habuerint equites, albis chlamydibus, indutos: exceptis fratribus, quorum penè infinitus erat numerus. Milites autem ex universo mundo, Vitriaci sunt verba, non solum mediocres, sed & Duces & Principes, eorum exemplo, mundi vincula disrumpentes, & omnibus pro Christo renunciantes, ad eos confluebant, professionis & religionis eorum cupientes esse participes, pomposam mundi vanitatem, & carnales delicias à se penitus relegantes, & tanquam stercora reputantes, Christi militiam & religionis humilitatem divinitus inspirati devotissimè amplexabantur. Unde modico tempore adeò multiplicati sunt, quod in conventu eorum plus quam 300. equites, exceptis servientibus, quorum non erat numerus, omnes albis chlamydibus indutos haberent. Stupenda Incrementa, quæ Templarii intra quinquagesimum ab Ordinis institutione, annum sumserunt, in memoriam nobis revocant incredibiles progressus, quos diversi Ordines sacri brevi fecere. Nam Benedictum monachorum occidentalium Patrem, familiam suam, hancque plures in ramos divisam, longè lateq; in universa propagasse Europa, nemo est, qui ignoret, & testatur Trithemius sua ætate monasteria Benedictinorum Abbates habentia, exceptis Præposituris, Prioratibus, & Cœnobiis Monialium, ultra XV. millia fuisse. De Hospitalariis Robert. de Monte in Contin. Sigeb. ad ann. 1131. Fratres quoque de Hospitali sub religioso habitu continenter viventes, ubique se multiplicando, diffundebant. Multiplicationem Ordinis Predicatorum beatam virginem Dominico, ejus auctori, visione prænunciasse, tradit apud Hospinianum Scriptor vitæ Dominici. At quicquid sit de visione Dominici, saltem eventus spem illius mirabiliter confirmavit: refert enim Antonius Florentinus, qui circa A. D. 1458. Historiam suam absolvit, hunc Ordinem ab A. C. 1220. usque ad sua tempora nactum esse in Italia Conventus 145. In Provincia Tholosana 25. In Provincia Provincia 27. In Provincia Francia 29. In Hispania 29. In Arragonia 14. In Teutonia 48. In Saxonia 46. In Anglia & Wallia 44. In Hibernia 24. In Scotia 13. In Polonia 32. In Bohemia 22. In Hungaria, quæ comprehendit Pannoniam, Sclavoniam & Dalmatiam 35. In Dacia, Suecia & Norwegia 26. In Gra-

E

cia 4.

cia 4. & in Terra Sancta 5. ut jam Monialium hujus Ordinis monasteria silentio involvamus. Neque sterilior parens *Franciscus Assisius* fuit. Volater. Lib. XXI. Auctus exinde paulatim Ordo, ut cunctis postea multitudine virorum præstiterit, & sacerdotio & doctrina, & sanctitate præcellentium. Et quid dicam de *Patribus Societatis Jesu*, qui ab initio pauci, diu neglecti, repressi diutius cohibitique, à Papa & Regibus, à Senatoribus, Episcopis, Doctoribus & Monachis, paulatim ea, qua sciunt, ratione, creverunt numero, auctoritate, opibus, potentia, ut jam in quatuor mundi partibus, si quis diligere eos nolit, metuere, aut saltem mirari necesse habeat. Breviter ut asinus, verbis liceat *Balth. Meisneri Philos. Sob. Part. II. c. 2. p. 249.* aculeatoribus paulò sectioni huic finem imponere, animal fœcundum est: sic Monachi se multiplicarunt, adeò, ut totam fermè *Ἰουδαίαν* occupaverint & suppresserint.

SECT. III.

De Monachorum Decremento.

§. I.

Decrementum Monachatus perexiguum, maxime quoad ordines, hætenus deprehensum fuit. Nam ea seductionum natura est, ea vis, ut brevi tempore latissime crescant, decrescant vero rarissime tardissimeq;. Quid? quod unicum malum non raro si extirpare anniteris, sexies plura succrescent. Si tamen aliquid de Decremento dicendum est, duplici modo illud considerari potest. *Primo* quoad ipsorum ordinum extirpationem, seu cessationem, *deinde* quoad expulsionem ex una alteraque regione pariter ac urbe. Inter causas ejusmodi persecutionis palmarias meritò refertur impudica illa coëundi libido, qua potentissimorum Virorum invidiam sibi contraxere.

II.

Humiliatorum ordinem An. 1571. per universam Italiam, ob dissolutam vitam, præcipue vero ob necem Cardinali *Barrhomæo* protectori ipsorum intentatam, publicè abrogavit *Pius V.* Ipsam Bullam hujus abrogationis *κτ' ἄλλα* ex *Matthæi Toscani* libro, cui titulus: Summa constitutionum & rerum in Ecclesia Romana gestarum, à *Gregorio IX.* usque ad *Sixtum V.* recenset *Hosp. p. 316.*

De

De 23. Mendicantium Ordinibus abrogatis, quia superius mentionem illorum iniecit, non est, quod amplius quidpiam dicamus. *Sabbaitarum* secta à Turcarum tyrannide ad incitas penè redacta est. Vid. *Kurze und gründliche Historie vom Ursprung der Geistlichen Orden* / num. XXI. *Templariorum* interitus ideò notari meretur, quod tanta sævitia & crudelitate contra illos usus fuerit *Clemens V. P. R.* una cum *Gallia Rege Philippo*, ut nihil supra. Causam hujus extirpationis, partim *hereseôn* nefanda capita, partim *flagitia* atrocissima, inque iis libidinum illecebras, & ebriositatem, Auctores assignant. Adeò enim gulæ erant dediti, ut proverbio dictum fuerit, de summè ebriosis: *potat, ut Templarius.* vid. *Urspergens. in Friderico II. Wilhel. Tyrius XX. c. 32.* & *Nicol. Gürtler. in Histor. Templarior.* Celeberrimus noster *D. WAGENSELIUS* ex *Bulla die 6. Decembris A. 1668. à Pontifice Clemente IX.* promulgata, Congregationis quoque *Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum*, ac *Fratrum Jesuatorum S. Hieronymi*, & *Fratrum ejusdem S. Hieronymi de Fæsulis*, sub regula *S. Augustini*, extinctas, suppressas & abolitas fuisse refert, in *Commentat. de Civitate Norib. p. 91.* Ultimus denique, quod reperire hucusque potuimus, est *Paulinorum seu Gastolianorum.* Hos importunissima libidinis intemperantia, ex omnibus Italiae urbibus, ejecit. Nam modus ille, quo cupiditatum illecebras refrenare satagebant, fenestram ad omnia scelera aperuit potius, quam clausit. Quid enim amabo, ad inflammandas adolescentulorum libidines accommodatius, quàm quod juvenem cum puella in unum lectum, posita inter utrumque cruce, collocaverint? De iis *Micrael. Hist. Eccl. p. 618. Gastaliani seu Paulini A. 1537. Mantuae* prodierunt, & carnem suam hoc modo domuerunt, *ut in uno lecto monachus & monialis concumberent, cruce interposita, ne coire possent.* Sed brevi abrogatus est ordo ob impudicitiam vitæ. Scilicet nocumento fuit hoc documentum: promoverunt, quod amovere debuissent. Meritò itaque pœnas dederunt Italis, quos eam solam ob causam æterna manebit gloria.

III.

Simile, imo quid simile? longè profectò excellentius quo ad *expulsionem ex urbibus*, factum est, quod Patria nostra Norica inprimis jam olim inclaruit. Quis absque singultibus ex intimis pectoris penetralibus petitis, meminisse potest illorum temporum, quibus quanta quanta est, densissimis Papatus tenebris immersa

fuerat. Exstructa cernebantur hinc inde Monasteria, è quibus hoc *Dominicanos seu Prædicatores*; illud *Cartusianos*; aliud *Benedictinos*; quartum *Franciscanos*; quintum *Augustinienses*; sextum *S. Catharinam*; septimum *Salvatorem*; octavum *S. Claram*; nonum *Martham*; respiciebat, ita ut variarum sectarum seminarium rectè eandem appellaffes. Verùm ò generosa pariter ac religiosa pe-ctora, quæ reformationis tempore omnem moverunt lapidem, ut inutilia hæc terræ pondera minuerentur & abigerentur. En! respondit eventus conatibus. Ejiciuntur Monachi, servantur Monasteria. Cui usui? verè pio, justo, sancto. Quæ antea latibula erant pigritiæ, in gymnasia virtutum fuere conversa. Nempe in locum superstitiôsæ religionis, verus DEI cultus cum pura Evangelii prædicatione successit; avaritiæ Cœnobia, gazophylacia facta sunt pauperum. *Cartusianorum Cœnobium* viduis & orphanis, quos Ecclesiarum Ministri æque ac Magistri Scholarum post se relinquunt, inhabitandum distributum fuit. Vid *WAGENS. Comment. Civit. Noribergen. c. 13. p. 90. E Cœnobio illo, Egidiano, Templo juncto, ipsisque Monachis Benedictinis olim dicato, factum est Gymnasium, quod ædificii splendore æque ac institutionum salubritate vix cedit ulli. Eruditur ibidem juvenus ad doctrinæ, virtutis, morumque elegantiam & pietatem sollicitissimè: Sumptibus illis, qui è *Franciscanorum* claustro redeunt, egeni infantes parentibus orbi, aut, quos genitores clanculum exposuere, non aluntur duntaxat, verùm etiam in sana Evangelii doctrina instituuntur, robustiores verò facti, ad honestas artes & opificia applicantur: *Augustiniensium & Marthæ Monasteria* omni jure gazophylacia dixeris pauperum. Per singulas enim septimanas, statutis diebus, & de pecunia & de alimentis prospicitur egenis. *Salvatoris templum* in *Gymnasium* illorum cessit, qui sermonibus ad populum ex suggestu habendis operam navando, ad subeunda deinceps officia ecclesiastica sese præparant, & vulgo Expectantium nomine insigniuntur. O laudabiles transfigurationes! ò statuta saluberrima! ò metamorphoses nunquam non celebrandæ!*

IV.

Quibusdam in locis monasteria modò per vim, modò cum modestia abolebantur. *Violenta expulsio* erat, quæ in Britannia contigit, ubi intra unius anni spatium, decem millia templorum deleta

leta fuerant. Quam crudelitatem Pontificius quispiam sequenti
verfu includit:

*Millia dena unus templorum sustulit annus,
quam timeo, in penas vix satis unus erit.*

Vid. *Sauderus de Orig. Schism. Angl. lib. 1. p. 181.* Inter illa verò Mo-
nasteria, quæ mitius tractabantur, Norica nostra omni jure refe-
rimus. Etsi aliæ quoque non desunt urbes, quæ pari humanitate
abrogatis monasticis consuetudinibus Lutheranam religionem in-
trodudere, prout *Vitebergæ* quoque factum fuisse novimus ex
Chron. Torg. l. c. Conf. Tom. II. Altenb. p. 30. Argentorati, Monachi,
traditis Monasteriis suis, in civium catalogum recepti fuere, reli-
quis verò certa pecuniæ summa per omnem vitam ad sustentatio-
nem necessariam distributa est, redivis Monasteriorum urbi ad-
judicatis, in pauperum præcipue sustentationem. Quid præterea
de Urbe dicam Noriberga? hæc Monachos in pagos circumjacen-
tes ablegavit, ut rusticos erudirent. *Conf. Chron. Norib. ap. Sculte-
tum l. c. p. 86. Plura exempla in utramque partem legantur ap.
Tob. Schmid P. II. Chron. c. 2. p. 386. Jerem. Simon: Eilenburgische
Chron. P. III. p. 554. Schmid Jwicz. Chron. P. II. c. 2. p. 383. David
Chytræ. epist. ad Comites Stolbergæ p. 286. Just. Pertuch. Chron. Portens.
Cap. III. p. 234. Lindeberg. Chron. Rostoch. lib. IV. c. 2. p. 117. Chronic.
Torgens. Mst. p. 66. Reiser. lib. IV. Lipsiæ S. 25. Matthes. Leben Lu-
theri VII. Predigten p. 70. lib. I. epist. Luth. n. 230. Seckendorf. lib. I.
p. 116. Chytræ: Saxon. lib. XXVII. p. 757. Crus. Annal. Suv. P. III.
lib. XI. p. 670. Epist. ap. Seckendorf. lib. I. p. 217.*

V.

Possemus jam tutò ultimum huic Sectioni colophonem (non
quod materiæ dignitati exactè satisfecerimus, aliàs volumen illam
vix caperet, sed quantum per ingenii tenuitatem brevissimo tem-
poris spatio licuit) imponere, verùm lubuit unicam adhuc quæ-
stionem movere, videlicet, *an Cœnobia Reipublicæ sint salutaria,*
*vel, an sit è re cujusdam Reipublicæ, si Monasteria pro utroq; sexus ge-
nere erigantur, vel erecta retineantur, ut in illis Lutherana religio vi-
geat?* Ad hoc antequam vel affirmando vel negando responde-
mus ζήτημα, explicandum nobis erit, quid præcisè per Cœno-
bium intellectum velimus. Hôc fanè non innuimus tale ergastu-
lum, quo Pontificii utuntur, ubi nemini, qui semel ingressus est,

exitus patet amplius; removemus peculiare vestium formas, certis signis, certis characteribus insignitas; valere jubemus intolerabilia illa votorum juga, quibus custodiendis humana imbecillitas impar est; rejicimus vanam illam persuasionem, ac si hoc vitæ genere vitam æternam promereri queamus; missam facimus strictissimam illam statutis diebus horisque; ciborum observatione, quasi huic, nescio quæ perfectio, inesset; mittimus vana illa jejunia cum vigiliis, corpus animumque debilitantibus; respuimus absonum illum denominandi morem, quo alii Dominicani, Franciscani alii, alii Benedictini, nuncupantur; non recipimus varia ab hominibus excogitata poenitentiae genera; non interdiciamus conjugia; verbo: non exigimus, quod vel legibus divinis humanisque, vel viribus humanis, vel libertati Christianæ, ullo modo repugnat, sed hoc ratum habemus, ut quemadmodum ingressus, ita etiam egressus cuilibet, quocumque tempore & occasione, permittatur liberrimus; illi tantum recipiantur, de quorum cum morum integritate, tum vitæ probitate, vel ipsi certi sumus, vel à Viris optimæ notæ testimonia omni fide majora recepimus; concedantur in illis degentibus peregrinationes ad amicos, in certa balneofanitatis procurandæ gratia; degatur in illis non aliter, ac si quis sibi, nulliusque imperio subjectus, viveret; permittatur vesci illis ciborum generibus, quæ cujuslibet palato grata sunt; & ære non adeo magno comparari queunt; habeant servos & ancillas, pro sumtuum modulo; conjugia ineant; quando & cum quibus placet; vitæ sanctitati dent operam, quicquid verò ab his alienum est, fugiant; habeant certas regulas, sed quas nemo, nisi mala mens, malus animus, facile transgredietur, servatu nimirum facillimas; vestimentis utantur, cujusque genio & ingenio convenientibus, dummodo manifesta vitetur vanitas; præficiatur quispiam ipsis, sed ut Director duntaxat & Inspector; admittantur non nisi probatæ fidei vitæque & veteris prosapiæ & imaginum homines. His ita fundamenti loco suppositis, citra tergiversationem *concludimus, omnino salutarem esse Reipublicæ ejusmodi Cœnobiorum erectionem.* Maxime cum generosa stirpe profectis, quibusque aliàs vel fœtent mundana, vel amplissima familiæ seges præfecturas dignitatum dubias reddit, vel senectus requiem suadet curarum, vel hæredum penuria non exiguam bonorum ipsis defunctis, jacturam minatur, hac ratione optime consuli queat. Pietatis studium ma-

jora

jora indies incrementa capiat, & qui sine liberis decessere, rei familiaris hæreditatem Cœnobio relinquunt, cuius ope denique ea, quæ ad conservationem & restaurationem Monasterii conducunt, procurentur. Documento nobis esto præter alia complura, quæ hinc inde nostra ætate exstructa fuere partim, partim adhuc hodie passim in Saxonia, Holsatia alibique constituuntur, illud Cœnobium, quod Oberstensfeld in Suevia reperitur. Instituta illius, ut à Virgine antiqua stirpe orta, omnique virtutum & pietatis splendore illustrissima, quæ non solum illud oculis usurpavit propriis, verùm etiam sororem habet in eodem Cœnobio ætatem agentem, benevolè accepti, cancellis inclusa sunt sequentibus: Cœnobium ipsum Augustinienses olim aluit, post tempus verò Reformationis, Lutherana religio, expulsis pristinis possessoribus, introducta fuit, & adhuc hodie ibidem viget. Tutela fruitur Ducis Würtebergensis; Præfecti vero munus administrat Dn. Guolfgangus Ludovicus Lib. Baro à Stein ad Bechingen & Unterstozingen; Abbatissæ officio hoc tempore fungitur Rosina Barbara Hornbeckin à Hornberg. Gaudet præterea certis suis redditibus, e. g. habet suas vineas, habet fructus, & animalia tam volatilia, quàm quadrupedia &c. Hæc omnia fisco inferuntur, ut dein inter has ipsas ex æquo distribui queant. In hoc Cœnobium haud alia persona, nisi quæ, cæteris paribus, Majorum, & quidem vel Francorum, vel Suevorum nobilitate radiaverit, recipitur. Receptis vero sex integri anni (tentationis seu probationis annos vocant) conceduntur, quibus illæ pro arbitrio suo, & circa vestes, & circa reliqua, disponere queunt. His elapsis, expiscatur eas Abbatissa, utrum huic vivendi generi sese constanter addicere, an vero ad pristinum redire malint, tunc eligunt, quodcunque fortè arridet. Posteriori si arripiunt, facile dimittuntur, hac tamen cum lege, ut 20. florenos, lectumque Cœnobio relinquunt; sin vero in priori perseverare cupiunt, ducuntur in templum, ibique coram altari ab Episcopo Würtebergensi ordinantur. Ritus, quos tunc adhibent, sunt, quod vestibus pristinis versicoloribus exutis, novas induant, nigras vel albas, hos duos enim colores, (quibus etiam Cœnobium tinctum est) sibi proprios servare debent, in recordationem forsan pristinorum illius possessorum; dein leges præleguntur; Sacra Cœna quoque porrigitur, denique concio à pastore Civitatis habetur; hac finitâ, convivium celebratur, ad quod adhi-

adhibentur cognati utriusque sexus, & si quos alios nova virgo Monasterialis desiderat; æquum enim est, ut, quia sola omnes sumtus perfert, selectus quoque personarum ad illud eidem concedatur. Ipsæ hæc virgines monasteriales inter sese mira postmodum familiaritate utuntur, omnes unà cum Abbatisa in cujus conclavi semper convenire solent, templum frequentant; in processu non nobilitatis, sed ætatis ratione habitâ; conciones & horas precationum alternis diebus audiunt; in templo à reliqua turba sejunctæ sedent; finitis sacris pari cum modestiâ in monasterium rursus se conferunt; unicuique sua vacat domus & peculiaris hortus, domui annexus, hunc colunt, hunc delectantur, plantant arbores, inutiles excindunt, novas instituunt, luxuriantes præscindunt, distortas corrigunt, hinc violas, ibi rosas, istuc hyacinthos & inserunt & decerpunt. Cæterum cuilibet integrum relinquitur, suo ex voto artes & scientias amplecti, quas Musicæ dulcedo capit, à Provifore, i. e. Organico, erudiuntur; invifunt non rarò se invicem, modò per hortos, modò per peristylia obambulantes, peregrinationes instituunt, animi relaxandi gratia; Sique forsan evenit, ut aliqua matrimonii fœdere jungi velit, exitus ei è cœnobio patet, fin verò diem suam in illo obeat, ipsum templum ipsi in sepulchrum cedit, & quarta pars bonorum fisco addicitur. Ecquis Cœnobia ejusmodi non probet, non suadeat, non æstimet? Nos sane ea & probamus, & suademus & æstimamus. Interim studeamus esse Christiano-Monachi, quorum *cibus* Verbum Christi, *Justitia pallium*, *Fides cingulum*, *Ecclesia monasterium*.

VI.

Dantur etiam monasteria Lutheranae religioni addicta, in quibus masculini sexus homines vivunt. Celebre est illud *Bergense ad Albim* prope Magdeburgum, ab Ottone Magno, Henrici Aucupis, Primi ex Saxonibus Imperatoris Augusti, filio & successore A. O. R. 936. conditum, ceu *Henricus Meibomius* refert & confirmat in *Chronico hujus Bergensis Monasterii p. 1.* Fuit, inquit, Cœnobium Bergense à tempore Reformationis Lutheranae (antea enim Benedictinam familiam respiciebat) illustris semper pietatis schola, vixeruntque in illo sub religiosis Abbatibus Petro Ulnero, Clemente Strathusio, Johanne Heidenio, Samuele Crusio, & qui adhuc superest, Sebastiano Gœbelio, Viri præclari, qui dein partim alia Monasteria sive Abbates, sive Præpositi, rexerunt, partim Re-

gibus

gibus Principibusq; à concionibus & consiliis sacris fuerunt, aut in urbibus, oppidulis, pagisque, vel in Ecclesia, vel Schola Dei, ser- vierunt. Ex hoc Cœnobio velut ex equo Trojano egressi sunt plu- res optimè de Ecclesia meriti Viri. In quo pariter Cœnobio con- summatio Formulæ Concordiæ à VI. Viris, *Chemnitio, Jacobo Andree, Selneccero, Chytrao, Cornero & Musculo*, Theologis Saxonis, Bran- denburgicis, Megapolitanis, & Brunsvicensibus, peracta est. Vid. *Hutter. in Concordia concor. 13.* Quod ipsum Cœnobium adhuc hodie, ceu pium conditorum institutum requirit, veræ & sinceræ religionis seminarium est. Recenset quoq; Auctor citatus horum Fratrum & Conventualium omnium catalogum. Enumerat etiam XV. illa sta- tuta, quæ tenere tenentur, ingressuri. Monasterio recepti non solum Lectioni Bibliorum S. & Auctorum probatissimorum, cum primis Patrum & D. Lutheri Scriptorum sedulo & quotidie vacant, sed etiam crimen ignaviæ adversantur, habentes ingenium in excubiis, ut hauriant mente avida, quod aliàs ipsis ignotum & nondum ob- servatum fuisset. Quo strenuè factò & præstito, mores ad hone- statem formantur, cessant vitia, & vita eorum ita præparatur, ut Deo placeat, à probis laudetur & extollatur.

VII.

Præterea monasterium *Benedictinorum Magdeburgi, in Scholam ju- ventutis; monasterium Augustinianorum Heidelbergæ, in Collegium Sa- pientiæ; & monasterium Fratricellorum Lugduni Batavorum, in Theologiæ Collegium conversum est. Conf. Francisci Burmanni Oratio inaug. de Collegiis.* Quam ob causam monasteriorum no- mina sensim eviluerunt, & monastica instituta contemni cœpe- runt, variis hinc inde locorum Collegiis, Scholis, & Academiis, ex- surgentibus, & monasteriis, ob ingentes partas divitias gravi ve- terno torpentibus. Nimirum post N. C. 12. 13. & 14. seculo bar- baries omnem Musarum suavitatem excluferat: non modò desi- des Monachi in claustris humaniores literas neglexerunt, sed et- iam credebant, cum severiori disciplina delicato sermone non posse convenire. Unde non incongruè *Franciscus Samsonius, Gene- ralis Franciscanorum, referente Petro Rodulfo Tossiniano in Hist. Sera- phica, Fratres mei, ait, dilectissimi, à primordio religionis nostræ floruit Conscientia, sed paulatim sublabente decore, ablata est pri- ma syllaba, & remansit Scientia, nunc verò nostris culpis exigen- tibus, ablata iterum prima syllaba, remansimus pura Entia & stipi- tes ac statua.* De cœtero negari haud potest, nonnullos superiori

F

tem-

tempore monachalis regiminis declinationem & monasteriorum decrementum, eminus quasi prædixisse & prænuñciasse, ceu quidem de *Johanne Hiltenio*, Monacho Franciscano, memoriæ id proditum est, cujus Historiam vide sis in *Apolog. August. Confess. p. 276. conf. Paulus Laymannus, Jesuita, in justa defensione sententiæ Casaræ & pontificiæ, in causa monasteriorum extinctorum & bonorum ecclesiasticorum vacantium.*

VIII.

Quantum quoque *Detrimenti Monachatus in Regno Sueciæ seculo XVI. post C. N. passus sit*, non aliunde melius, quam ex *Johannis Loccenii Hist. Suecan. lib. VI.* constare poterit, ubi p. 133. legas licet sequentia: Hoc anno (1524.) Rex Sueciæ *Gustavus I.* arduum, at salutare, *reformandi Ecclesiæ* in suo regno, & religionem traditionibus humanis & superstitionibus corruptam, emendandi consilium cepit, amore cœlestis veritatis ipsi divinitus inspirato, & *Sueticorum Ecclesiæ Doctorem, Laurentii & Olai Petri, Fratrum, Lutheri ac Melanchthonis discipulorum, & Laurentii Andreae, Cancellarii*, aliorumque fida institutione confirmatus, à se & sua orsus aula, *primus evangelicam doctrinam* amplectitur. Hac verbi divini luce per meram Dei benignitatem accensa, non solum tenebræ dispellebantur, sed & ipse Rex, ac postea populus ejus exemplo rectius edocti, in veram salutis viam ducebantur: frustra renitentibus & reclamantibus Episcopis & Doctores Pontificiæ Religionis addictis, præsertim *Job. Gotho*, Præsule Upsaliensi, *Job. Braschio*, Episcopo Lincopensi, & *Petro Gallo*, Professore Theologo. Deinde *A. C. 1526. Johannem Gothum* ex visitatione Ecclesiarum Norlandicæ Upsaliam redeuntem, ad se *Gustavus Rex* vocans, (ceus *Loccenius d. l. p. 240.* tradit,) percontatur, *quenam genuinæ Episcoporum essent partes?* Num *Christus Dominus noster* jussisset Apostolos, aut successores eorum, tanta uti pompa ac vanitatibus? Anne *majora & graviora illis injunxisset?* Sed *Præsul parum aut nihil ad rem respondebat.* Rex porrò, se in *S. Literis* legisse, ait, *Christum* jussisse eos docere populum Dei voluntatem, & quid credere de Deo, quid sentire de seipsis, deberent: ut, quando hinc discessuri sint, tranquillâ conscientiâ & beato fine decedant: & ut præeant Ecclesiæ piâ & inculpatâ vitâ, librosque populari sermone scribant edantque, ut ab omnibus intelligi & cum fructu legi possint. Tale quid in aliis rebus publicis & regnis exerceri. *Germanos utiq; Gallos, Britannos & Bohemos, sacrum Codicem aliosq; utiles libros*

broſ patriâ linguâ verſos habere; ſed heïc in Suecia, nullos planè Codices in vernaculam linguam translatoſ, extare, niſi Memorabilia S. Mariae, ut vocant, quibus multa contra S. Scripturæ mentem detorta ineſſent. Addebat Rex, Episcopos, Canonicos, Presbyteros & Monachos, pigros eſſe ventres: populum, non ſæpius ad conciones ſacras vocare, & publicè verbum Dei docere, quàm quum ſolennes & majores Miſſæ decantarentur. Exiguo autem tempore interjecto, Rex Guſtavus, Feriis Ericianis, cum bis mille equitum & magna manu peditum Veterem Upſaliam ingreditur, & cum Uplandis iſtuc ad concionem evocatis, agit primò, de emendanda religione & Sacrorum adminiſtratione, dein, de civilibus regni negotiis. Super alia conqueritur, in regno nimium ignavorum & inutilium eſſe Sacerdotum & Monachorum, quibus omnia Cœnobia reſerta eſſent, qui nihil ſermè aliud agerent, quàm, ut iſtar noxiorum animalium annonæ populatorum, terræ fruges & medullam conſumerent. Ideò ſciſcitabatur, num illis non conſentaneum videretur: ut delectu eorum habito, doctis & ad ſacra idoneis de commodo victu proſpiceret, reliquis vero inutilibus terræ ponderibus monaſteria purgaret, & ad labores in ſudore vultus, ex Dei iſtituto, tolerandos, compelleret, aut in eorum locos ſufficeret peritos & probos Ludimagiſtros & Doctores, qui juventutem in chriſtiana doctrina, bonis literis & moribus erudire & educare poſſent. Ex reſiduis ſumtibus egenos, ægrotos, cœcos, claudos, & alio vitio corporis inſignes, qui ipſi per ſe vitæ tuendæ non ſufficerent, aut ſubſidia ad eam tolerandam non haberent, alendos eſſe. Plebs & ruſtici ſtatim reclamant, ſe monachos expelli nolle: quum ipſi, ſi excludantur, eis alimenta præbere debeant. Rex animadvertens adhuc cruda acrius moveri, non è re fore, ea tempori ſervat. Paulò poſt, in conventu Ordinis Eccleſiaſtici Rex agebat, ſe haud inſicias ire poſſe, quin, boni & utiles Eccleſiæ Doctores, qui Dei honorem & gregis ſibi commiſſi ſalutem quærerent, duplici honore, & honeſtis vitæ ſubſidiis, digni eſſent: reliquos vero in Domini vinea deſides, qui nec doctrinâ, nec vitâ, Deo aut hominibus uſui eſſent, nihilq; aliud poſſent, quàm in templis & Cœnobiis quaſdam Miſſas ac preces, velut quosdam abſq; mente, aut iudicio, ſonos demurmurare, tanquam ignavia & ventris mancipia, excludendos, nec publico ſtipendio alendos eſſe. Quibus Loccenianis non incongruum fuerit verſiculos inferere ſeqq.

*Dum ſatur eſt venter Monachorum ſufficienter,
tunc ſurgunt lentè, miſerere canunt ſine mente.*

Tan.

Tandem, inquit *Loccenio cit. l. p. 254.* Decretum, de præcipuis Consultationis capitibus, editum est, inter quæ etiam fuit istud: fructus regni diminutos, & ad Episcopos & reliquum S. Ordinem ex superfluo translatos, ab iisdem ad Coronam unà cum arcibus revocandos esse. Quæ deinceps executioni mandata sunt, præsertim de supervacuis Præfulum opibus ad Coronam retractis. Præter arces enim XIII. millia prædiorum, quæ Episcopi & Ecclesiastici, à tempore Caroli Canuti Regis vel venditione, vel donatione alienata, possederant, ad Coronam & ordinem equestrem redierunt: redivitibus in sortem computatis, ac in solutum acceptis, quum regnum & Nobiles vix tertiam partem bonorum comparatione possessionum S. Ordinis, antea tenerent. Conf. Bazii Hist. Eccles. Sueco-Gothica.

IX.

Haud leve itidem detrimentum Monachatus cepit ex *Schismate*, quod fuit inter *Alexandrum III.* & *Victorem IV.* Pontifices Romanos. *Cisterciensis Ordo* Alexandro magnum præstitit obsequium, docendo, illum legitimum esse Pontificem & verum Christi Vicarium, Petriq; successorem. Iratus proinde Fridericus I. Imperator, qui victorem fovebat, Italiae regno ejecit universos ejus Ordinis. Conf. *Cranzius Saxon. lib. VI. c. 18.* Deniq; decrementum Monachorum Poëta aliquis infimi ævi duobus videtur expressisse Hexametris hisce:

*Sunt tria, nigrorum quæ vastant res Monachorum,
Renes, & Venter, nova Pocula sumta frequenter.*

X.

Hæc sunt, quæ de *Monachorum Origine, Incremento & Decremento* in medium proferre animus fuit. Fateor equidem multo plenius & planius hanc ipsam prolixissimam materiam diduci & potuisse & debuisse. Attamen iis ipsis, quæ in proœmio jam tum allata sunt, diligentius expensis, veniam à Benevolo Lectore me impetraturum, & spero, & confido. Quapropter Deo, qui, ut solus vitæ meæ *Origo* est, ita etiam à primo statim ejus exordio in hunc usque diem largissima in me contulit beneficia, & *Incrementa*, pro concessis in Dissertationis hujus elaboratione, animi æque ac corporis viribus, immortales persolvo gratias:

Crescat reliquo etiam ætatis meæ curriculo benignissimus æterni Numinis favor, ut de *Decremento* nunquam conquerens, in laude illius ac celebratione permanentem sine

F I N E

ERRATA.

Pag. 16. §. 17. lin. 19. pro Lib. leg. cap. pag. 30. §. 23. lin. 12. post parenthesis leg. patria nostra, pag. ead. lin. 13. & 14. del. Alcantaræ Militum Jesu Christi.

Q.K.
420
1.

DISPVATIO IN

MONA

ORIGINI
TO ET I

AVCTOR

ORDINIS
SVB

PRÆNOBILISSI

DAN. GV

Comitis Pala

& Hist. Prof

DN. PATRON

MOTORIS omni o

SVMMS IN PH


ac PRIVILEC

publico

TOBIA

ad d.

Literis HENRICH



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Π i
1752

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

LIBVS
S
BIBLIOTHEC
PROVINCIALE

